DE
EPISTOLAE,
QUAE DICITUR,
AD HEBRAEOS
INDOLE MAXIME PECULIARI

LIBRUM COMPOSUIT

TRAUGOTT AUGUSTUS SEYFFARTH,

PHILOSOPHIAE ATQUE THEOLOGIAE DOCTOR, CIRCULI BELZIGIENSIS
EPHORUS ATQUE PASTOR PRIMARIUS.

LIPSIAE.

PROSTAT APUD CAR. HENR. RECLAM.

MDCCCXXI.

Fr. Lücke.

THEOLOGORUM

IN

ACADEMIA HALENSI

ORDINI

SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

HUNC LIBRUM

GRATISSIMA OBSERVANTISSIMAQUE

MENTE

DEDICAT SEQUE SIMUL ENIXE

COMMENDAT

AUCTOR.

Praefatio.

Praeterlapsi sunt triginta, et quod excurrit, anni, ex quo tempore amoeniores philologiae sacrae hortos perlustraturus ipse quoque flosculos aliquos qualicunque modo alendos fovendosque excipere conarer. Excitatus nempe tunc temporis a REINHARDO, immortalis memoriae viro, cuius lectionibus philologicis privatissimis discipulus assidebam, ad obtinenda doctoris philosophiae iura publice defendi disputationem a me scriptam de vi vocabulorum νομου et ἐργων, in libellis ma-

xime Paulinis, rite constituenda. Neque subactis magis ingenii viribus istum hortum derelinquendum arbitratus, in lucem edidi diatriben de locis N. T. communibus iuste seligendis; operamque etiam hinc navare conatus sum operi maiori scripto, pericopis epistolicis et evangelicis rite explicandis et in utilitatem communem convertendis dicato. Omnibus his peractis constitueram apud animum, in lucem edere et commentarium in evangelium Iohannis, ex apostoli ipsius libellis praecipue concinnandum varioque modo a me iam praeparatum, nec non Lexicon N. T. praecipue exiturum e Mori dissertatione de discrimine sensus et significationis, in quo vocabulorum in N. T. occurrentium vim potestatemque accuratius eruere, secernere atque in ordinem redigere conarer. Oppressus tamen iacui et munerum celerrime subsequentium oneribus et, quod magis doleo, scribae adeo publici computandorumque numerorum officio, quodque accessit, rerum

adeo agrestium, hucusque mihi alienarum, curis variis. Horas igitur non nisi subsecivas, illis molestiis non pressas, dicavi et brevioribus quibusdam tractationibus, inprimis exegeticis, ephemeridibus publicis insertis, et libellis quibusdam in usum scholarum, quae mihi in munere administrando praecipue curae cordique erant, exarandis. Excitatus tamen est nuperrime in legendis aliquot recentissimorum N. T. interpretum libris iuvenilis aetatis, qui fuerat, ardor, isque hucusque non neglectus quidem, sed impeditus tamen molestissimis carceribus, qui ardor suadere mihi videbatur, ut, quamvis pressus essem laboribus molestissimis, tamen me invito diu relicta tractare studerem. Originem habuit haec retractando liber hic qualiscunque, post conamina aliorum similia in lucem proditurus lectorumque benevolentiae se commendaturus, quo quidem libro laetor eo magis quo exoptatior mihi est, eum dedicandi, quam nactus sum, occasio. Scilicet cum idem ad calcem fere esset perductus, maxime

venerabilis ordo theologorum Halensium summos in theologia honores mihi conferre maxime benevole constituit, egoque hoc libro in lucem edendo assecutus sum ansam huic ordini gratias agendi obstrictissimas. Dedi Belzigii mense Aprilis MDCCCXXI.

Auctor.

Libri brevis adumbratio.

Libri exarati occasio narratur. §. 1.

Eiusdem consilium indicatur, eiusque partes delineantur. §. 2.

A) Epistolae indoles maxime peculiaris, si eam in universum spectaveris. *Etenim vides*

1) *eius inscriptionem nimis vagam.* § 3.

2) *auctoris ecclesiaeque in fronte epistolae nullum vestigium.* §. 4.

3) *subscriptionis in eadem peculiarem formam.* §. 5.

4) *auctoritatis apostolicae in epistolae fine silentium.* §. 6.

5) *mentionis Timothei factae, salutandi etiam optandique singularem rationem.* §. 7.

6) *in ecclesiae doctoribus tractandis peculiarem methodum.* §. 8.

7) *auctoris, quae de se ipso proferat, indicia non nisi remotius petenda.* §. 9.

8) *lectorum propriam conditionem.* §. 10.

9) *magis dispositе et mitius scribendi, genus peculiare.* §. 11.

10) *formam epistolae minus polemicam.* §. 12.

11) *talemque, quae sit homiliae simillima.* §. 13.

B) Scribendi ratio in hac epistola a Paulina inprimis maxime diversa.

Monentur quaedam de scribendi diversitate gravissimis de causis tum inprimis notanda, cum certae tantum gentis dicendi consuetudo reperitur. §. 14.

Adiiciuntur quaedam de stili diversitate, quam poscat argumenti peculiarior ratio. §. 15.

Maxime peculiaris in epistola ad Hebraeos scribendi ratio, *si perpenderis*

1) *vocabula praeterquam, apud Paulum inprimis, in N. T. libris non occurrentia eademque ex loquendi usu certi populi desumta.* §. 16—28.

2) *vocabula in eadem epistola plane peculiari sensu usurpata.* §. 29—35.

3) *verborum iuncturam singularem.* §. 36.

4) *dicendi formulas maxime peculiares.* §. 37.

5) *in nominibus Iesu usurpandis singularem consuetudinem.* §. 38. 39.

6) *vocabulorum compositorum magnam copiam, quae redoleant dicendi consuetudinem optimorum Graecorum quorumque usurpandorum inprimis non sit necessitas.* §. 40.

7) *genus scribendi in hac epistola maxime Alexandrinum.* §. 41.

8) *scribendi genus fortius.* §. 42.

9) *resque adhuc alias, quae hac de causa non possint negligi.* §. 43.

C) Argumenti in epistola ad Hebraeos tractati singularis natura.

Argumentum tractandique hoc argumentum rationem cautius secernendi necessitas. §. 44. 45.

Triplex inesse epistolae ad Hebraeos argumentum indicatur, et quod sit docetur. §. 46.

Peculiarior huius argumenti ratio perlustratur. *Etenim argumentum reperis.*

1) *ab auctore magis datum, quam acceptum.* §. 47.

2) *specialissimum, quod de industria tractetur.* §. 48.

3) *ab epistolarum Paulinarum argumento magnopere diversum.* §. 49.

4) *paucissimis lectorum necessitatibus dicatum.* §. 50.

5) *in rebus religionis altius.* §. 51.

6) *minus denique mixtum.* §. 52.

D) Tractandi forma maxime peculiaris.

Praemonentur quaedam in hac re necessaria. §. 53.

Argumenti tractati in epistola ad Hebraeos methodus fusius indicatur, ratione habita triplicis, quod in eadem exhibeatur, argumenti. §. 54. 55. et 56.

Indicatur similitudo, quae intercedat in tractandi methodo inter epistolam ad Hebraeos et reliquas N. T. epistolas, Paulinas inprimis; *quam similitudinem senseris, si*

1) *epistolae ad Hebraeos argumentum in genere in censum vocaveris.* §. 57.

2) *oracula V. T. laudandi consuetudinem tetigeris.* §. 58.

3) *atque de artibus in eadem dialecticis cogitaveris.* §. 59.

Nihilominus tamen in hac quoque tractandi methodo reperis epistolae ad Hebraeos indolem peculiarem. *Etenim est*

1) *peculiarior, quam mos poscat, locos V. T. excitandi ratio* §. 60.

2) *singularior in virtute Iesu tractanda methodus.* §. 61.

3) *peculiarior tractandi ratio in reliquis huius epistolae capitibus.* §. 62.

4) *in tractandis rebus mortis Iesu propria indoles.* §. 63.

5) *additur his omnibus iudicium de aliis quibusdam rebus, quas S. V. Schulz. peculiari tractandi in hac epistola methodo annumeret.* §. 64.

Monentur denique quaedam de iudicio in hucusque tractatis caute instituendo. §. 65.

§. 1.

Libri occasio.

Constat inter viros doctos, quantopere ab antiquissimis inde temporibus a N. T. interpretibus agitata sit atque ventilata quaestio de epistolae ad Hebraeos auctore deque Hebraeis, ad quos hae literae datae fuerint, ipsis adeo ecclesiae christianae *patribus* hac in re magnopere dissentientibus, *Lutherum*que in eadem re sequacem habentibus [1]). Lectu dignissima sunt, quae habent ista perscrutantes Hallet, Wolf, Michaelis, Semler, Eichhorn, Storr, Ziegler, Haenlein, Schmidt, Hug, Cludius, Heinrichs, Meyer, Weber, Schulz aliique collecta inprimis a Bertholdto [2]). Post Schulzii etiam tentamina in hac re novissima litem nondum diremtam esse atque compotitam

---

1) Fuerunt patres inprimis ecclesiae Alexandrinae, qui auctoritatem huius epistolae Paulinam magnopere defenderent, commoti haud dubie genere scribendi, quod in eadem est, Alexandrino, ipsis perquam amato. Unus *Origenes* eorum partes relinquens apud Eusebium confitetur, soli Deo auctorem huius epistolae esse notum indulgetque profecto genio civium, si in Homiliis, docente Matthaei in N. T. graeco P. 5. p. 506. Paulum auctorem agnoscere videtur. Lutherus vero in praefatione ad hanc epistolam opinatur, eandem a colloquio cum Paulo instituto traxisse originem.

2) Hallett in diss. *de auctore atque lingua originali epistolae ad Hebraeos*, quae reperitur in Wolfii *curis philos. et criticis* et in Peircii *commentario in epistolam ad Hebraeos*; — Wolf in iisdem *curis phil. ad hanc epistolam*; — Michaelis in der *Erklärung des Briefes an die Hebräer.* 2te Aufl.; — Semler in den *Beiträgen zur genauen Einsicht des Briefes an die Hebräer zu Baumgartens Erklärung desselben*; — Eichhorn in der *Einleitung ins N. T.*

docent *annales* Wachleriani [5]). Neque tamen mihi in animo est, litem omni e parte tentatam retractare. Suadent enim disceptationes a primis inde Christianae aerae seculis institutae nec hucusque finitae sententiam, litem hanc nunquam omni e parte iri diremtum. Videtur potius huius litis spectatoribus quam maxime arridere Hieronymi dictum: „*nihil interest, cuius sit haec epistola et ad quos sit;*" Bezae etiam iudicium: „*quid attinet, de scriptoris nomine contendere?*" Scilicet si epistola haec indolem spirat, quae est inprimis in sermonibus Iesu, merito supersedere posse videmur uberiori de auctore ipsius disceptatione. Refertam vero esse eandem dictis huius generis vere Christianis iisque gravissimis, nemo est, qui Schulzii in hac re sententiis rite examinatis, possit negare, nec argumentum ipsum ullum profecto Christianorum offendet, si argumentum tractandique hoc argumentum rationem satis secreverit.

§. 2.

Libri consilium.

Omnibus his lubentissime concessis minime tamen superfluum esse videtur *indolem huius epi-*

S. B. 2te Hälfte p. 411 seq.; — Storr in der *Uebersetzung des Briefes an die Hebräer;* — Ziegler in der *vollständigen Einleitung in den Brief an die Hebraeer;* — Haenlein in dem *Handb. zur Einleit. in die Schriften des N. T.;* — Schmidt in der *historisch-kritischen Einleitung ins N. T.* — Hug in der *Einleitung in die Schriften des N. T.;* — Cludius in den *Uransichten des Christenthums;* — Heinrichs in *N. T. Koppiano* Vol. 8. — Meyer in der *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs und in dem Ammonschen Journale* 2. B. 3. St. — Weber in *prolus. de numero epistolarum ad Corinthios recte constituendo;* — Schulz in dem *Briefe an die Hebräer;* — Bertholdt in der *historisch-kritischen Einleitung in die Schriften des A. und N. T.* im 6ten Theile.

5) Die *theol. Annalen* von 1818 September-Stück.

stolae maxime peculiarem diligentius examinare, atque, quae effici possint, hoc examine instituto, diligentius colligere. Felicior scilicet omni profanorum scriptorum interpretationi lux affulsit, postquam eorum interpretes explicationem eorum ex ipsorum peculiari scribendi indole tentarunt, suasorque inprimis fuit Ernesti[4]), ut hanc explicandorum scriptorum profanorum rationem interpretes etiam librorum sacrorum sedulo imitarentur, nec origine eorumdem divina ab hac interpretandi lege detinerentur. Secuti sunt ipsum indies magis Morus, Fischer, Tittmann, Koppe, Keil, Eichhorn aliique plures, memoratuque est dignissimum novissimorum temporum interpretes sacros, relicta interpretatione philosophica atque morali, quam de Wette adhuc maxime in tutelam recipit, istam librorum sacrorum interpretationem, qua unusquisque horum scriptorum seorsum sit legendus, atque e se ipso inprimis explicandus, praecipua diligentia esse persecutos. Annumerandi sunt his interpretibus istam explicandi N. T. libros legem enixe suadentibus atque sedulo simul sequentibus Bauer, Tzshucke, Hartwig, Stronk, Donker, Tzschirner, Lange, Schulze, Schulz, Plank, Wegscheider, Beckhaus, Kuinoel, Emmerling, aliqua etiam ex parte, si audaciam nimis magnam exceperis, Schleiermacher, inprimisque Gersdorf, quorum tamen in hac re libros nominatim laudare minime opus esse videtur. Neque minus ego, e quo tempore in libris sacris N. T. explicandis versatus sum, inprimis studium collocavi in his libris

---

4) Cfr. eiusdem interpres N. T. P. 1. Sect. 1. Cap. 1 1. §. item P. 2. c. 10. §. 36. multisque aliis in locis, ipsiusque diss. de vanitate philosophantium in interpretatione librorum sacr. opusc. p. 219.

ex ipsorum peculiari indole rite explicandis, scripsi mihi hanc interpretandi legem, in explicandis scriptis inprimis Iohanneis, in quibus rite intelligendis vocabula et formae dicendi *ἁμαρτια, ἀρχη, ἀπαρχη, κοσμος, κοινωνια, δοξαζειν, τηρειν λογον, ἐκ Θεου ἐιναι, θανατον θεωρειν* aliaeque maxime peculiari occurrunt sensu, quaeque sententias maxime pepeculiares continere videntur ex sola ipsius indole explicandas [5]) Perrecturus in isto tramite suscepi iam manum admovere tractationi *de epistolae, quae dicitur ad Hebraeos, indole maxime peculiari* conficiendae. Ista vero tractatio neutiquam de auctore huius epistolae attinget sententiam ipsam, sed occupabitur potius nonnisi in indole eiusdem maxime peculiari fusius ostendenda, ansamque praebebit de epistolae auctore atque argumento tute iudicandi. Versabitur vero huius libri ratio ita, ut maxime peculiarem epistolae ad Hebraeos indolem docere studeat e *perlustratione totius epistolae in universum instituta, e modo scribendi, ex argumenti tractati natura*, atque ex *argumenti tractati methodo.* De his omnibus deinceps exponam, argumentum huius libelli ita constituturus, ut vires prae caeteris omnibus meas ipsius tentarem atque haec proprio molimine reperta latis aliorum in hac re libris limare studerem. Certissime enim mihi tum persuasum esse poterat, me proprio in hac re Marte egisse tutusque simul mihi esse videbar, ne susciperem scribendi argumentum polemicum. Videbunt enim alio ambulantes tramite

---

5) Provocare licebit ad disputationem a me scriptam *de vi vocabulorum νομου* et *ἐργων* in *libellis Paulinis* Viteb. 1785. et ad librum a me concinnatum: *Uebersetzung und Erklärung der Episteln und Evangel.* ab anno 1792 usque ad 1797 editum, denique etiam ad iudicium palam propositum de Schulzii libro: *der schriftstellerische Character und Werth Johannes zum Behuf einer Special-Herminentik seiner Schriften.*

non tam ipsorum aliquem adversarium, quam virum, qui veri amore ductus suam sibi viam aperuerit.

§. 3.

Epistola maxime peculiaris, si eandem in universum per lustraveris.

Inscriptio nimis vaga.

Perlustraturis in universum epistolam ad Hebraeos eamque cum reliquis Nov. Test. epistolis comparaturis offert se peculiarior eiusdem indoles haec, quod huic epistolae in canone sacro praefixa est *inscriptio nimis vaga:* *προς Ἑβραιους ἐπιστολη* [6]. Persuasissimum quidem est interpretibus N. T. optimis, hanc inscriptionem, quae insuper abest in *versione Itala*, originem debere suam viro, qui canonem sacrum colligendum suscepisset [7]. Sed maxime ambiguam esse hanc inscriptionem prae caeterarum N. T. epistolarum inscriptionibus quis negabit? *Ἑβραιων* denominationem non nisi temporibus antiquissimis patriam, subsequentibus vero religionem indicare, e Philone illustrat Carpzov atque Ziegler [8] usurpaturque hoc vocabulum de Iudaeo - Christianis apud Eusebium [9]. Diffe-

---

6) Inscriptio, quae reperitur in catalogo aliquo librorum sacrorum seculo secundo concinnato sine dubio e glossemate orta haec est: προς Ἀλεξανδρινους ἐπιστολη. Cfr. Schmidt in der *Einleitung* 1. Th. S. 283. Similem argumenti inscriptionem laudat Matthaei in *N. T.* 3. B. p. 505.

7) Cfr. v. c. Ziegler in der *Einleit. in den Brief an die Hebräer* S. 189. et Carpzov in *Comment.* Apostolo hanc inscriptionem vindicare student Iac. Capellus in *Proleg.* aliique.

8) Videatur Carpzov in *prol. ad Exerc. in ep. ad Hebraeos* p. 6 et Ziegler *libro laudato* p. 217. Adde Salmasium de *lingua Hellenistica* p. 236.

9) Eusebius *Hist.* 3, 4. Cfr. Act. 6, 1. Plura docte magis, quam vere dicta habet Semler zu Baumgarten's *Erklä-*

runt vero epistolae reliquae N. T., quae inscriptionibus quibusdam gaudent, ad unam omnes ab epistola ad Hebraeos eo, quod indicent in ipsis hae inscriptiones ecclesiae christianae patriam, neque vero, uti est in epistola ad Hebraeos, religionem, quam fuerit quondam professa, divinandoque hinc est efficiendum, quo epistola haec fuerit ablegata et utrum sint sub Hebraeis intelligendi Ἑβϱαιοι ἐν Ἀλεξανδϱιᾳ, an ἐν Ἰουδαιᾳ, an ἐν Ἱεϱουσαλημ, an alii. Facillime quoque ex ista inscriptionis ambiguitate explicari potest, cur interpretes in definienda ecclesia, ad quam dictae fuerint hae literae, in diversissimas abeant partes [10]. Concedi ex his omnibus posse videtur, inscriptionem epistolae ad Hebraeos, quamvis sit praefixa ab alio quodam, laborare tamen profecto inscriptionis ambiguitate, si respexeris alias N. T. epistolas, quae eiusmodi gaudent inscriptionibus, luculenterque hac inscriptione dubia indicari, auctorem huius inscriptionis ipsum in ea adbibenda maxime fuisse dubium.

---

rung des Briefes an die Hebrär. etiam Eichhorn in der *Einleit. ins N. T.* 3. B. 2. Abth. p. 48

10) Scilicet Iudaeo-Christianos variis in regionibus sparsos intelligunt Lightfoot, Braun, Heinrichs aliique; Christianos stirpis Iudaicae in Palaestina viventes Pantaenus ad Eusebium, Harenberg, Moldenhauer, Zachariae, Michaelis, Heinrichs, Hug, plerique alii; Christianos stirpis Iudaicae in Asia minori viventes Newton in den *Betrachtungen über die Offenbar. Ioh.* 2. Th. Wolf, Bolten pluresque; Christianos huius generis in Asia minori Semler, Noesselt in *opusc. fasc.* 1. nempe in diss. quo *tempore scripta fuerit epistola ad Hebraeos* etc.; Christianos huius generis Hispanicos Hieronymus, et Peter a Ludwig in *schedis Hall. hebdom.*; Christianos Iudaicos Romae habitantes Wetstein; Christianos Alexandrinos, Bertholdt, Eichhorn, Schulz, et perquam multi alii; Christianos e stirpe Iudaica ortos Corinthiacos Weber in diss. *de numero* etc.; Galatenses Storr in comment., atque prolusione de consensu epist. ad Hebraeos ad Galatas; Laodiceae versantes *annales* Wachleriani im Sept.-Stück 1818.

§. 4.

Auctoris ecclesiaeque in epistolae fronte nullum vestigium.

Solent omnes fere N. T. epistolae, Paulinae inprimis, muniri inscriptione aliqua ab auctore ipso profecta. Sic inscribitur *epistola ad Romanos:* *Παυλος, δουλος Ἰησου Χριστου, κλητος ἀποστολος, ἀφωρισμενος εἰς εὐαγγελιον Χριστου, πασι τοις οὐσι ἐν Ρωμῃ ἀγαπητοις.* Scribendi initium in priori *epistola ad Corinthios* hoc est: *Παυλος κλητος αποστολος Ἰησου Χριστου δια θεληματος Θεου και Σωσθενης ἀδελφος τῃ εκκλησιᾳ του Θεου, οὐσῃ ἐν Κορινθῳ.* Epistolam ad ecclesias *Galatenses* sic auctor exorditur: *Παυλος ἀποστολος ταις ἐκκλεσιαις τῆς Γαλατιας. Χαρις ὑμιν και εἰρηνη ἀπὸ του Θεου.* Ad Christianos *Ephesinos* scripturus auctor haec habet inchoandi literas verba: *Παυλος ἀποστολος Ἰησου Χριστου δια θεληματος Θεου τοις ἁγιοις τοις οὐσιν ἐν Ἐφεσῳ.* Videmus ex his aliisque epistolarum inprimis Paulinarum exordiis earum auctorem amare in fronte epistolarum et nominis sui et ecclesiae, ad quam scribat, mentionem et nullibi eundem silere de dignitate, quam habeat, apostolica. Nec solum hac consuetudine Paulus utitur in epistolis ad ecclesias ablegatis, sed in epistolis etiam ad viros secum coniunctissimos, Timotheum, Titum et Philemonem datis. Imitantur hunc epistolas inscribendi ritum caeteri quoque apostoli, uno Iohanne excepto in epistolarum suarum prima. Mirum igitur profecto esse videtur, ut recte iudicant **Haenlein, Schulz** aliique, cur unica ad Hebraeos epistola, si inprimis fuerit Paulina, hanc inscribendi ritum perquam amatum deserat. Atque profecto, ut opinantur nonnulli, nec modestiae

signum iudicante Eusebio *Hist. eccles.* 6, 14. in ista omissione poterit reperiri, nec huius silentii causa in ecclesiae ignotioris indole poni, nec ad epistolae calcem provocari nec excusatio esse in eo, quod haec epistola tractatio potius sit, Studelio monente, quam epistola. Luculentissimum profecto est, hunc excusandi nisum ludicrum potius esse quam verum, epistolae inprimis indolem neganti incumbit profecto probatio. Quodsi porro apostoli, Paulus inprimis, epistolis iis adeo, quae sint epistolae familiares magis, nomen praefigunt et suum et ecclesiae atque haec peragendo salutandi simul ritum observant, sique scribendi initium facientes memoriam iniiciunt auctoritatis ipsis in rebus religionis datae, cur non fecisset idem auctor in epistola ad Hebraeos, quae profecto data esse videtur ad ecclesiam magis remotam? Ecclesia haec remotior delicatius profecto erat tractanda, et poscere videbatur audaciae in scribendo excusationem aliquam et salutationes quasdam eiusdem praecipuas [11]).

§. 5.

Subscriptionis in hac epistola peculiaris indoles.

Plura tamen insunt in epistola ad Hebraeos in universum perlustrata, quibus innitatur sententia, hanc epistolam a reliquis N. T. epistolis maxime

---

11) Huius inscriptionis silentium offendiculi loco inprimis fuit ecclesiae latinae patribus, ut docuit Bertholdt libro saepius laudato p. 2914. *Ephemerides* etiam Wachlerianae saepius memoratae huius obiectionis vim maximam sentientes initium huius epistolae deperditum esse dicunt, neque tamen habere videntur, quo sententiam propositam ullo modo possint defendere, produntque haec proferendo capiditatem aliquam, quae esse debet ab eiusmodi disquisitione remotissima.

esse distinctam. Referenda enim hac quoque esse videtur *subscribendi peculiaris formula*, eaque diversa inprimis ab epistolarum Paulinarum indole. Subscripta nempe huic epistolae reperimus verba: *προς Ἑβραιους ἀπ' Ἰταλιας δια Τιμοθεου*, cuius loco habet codex Alexandrinus: *ἀπο Ῥωμης της Ἰταλιας δια Τιμοθεου*, versio vero Itala et Syriaca: *ex Italia Romana* per *Timotheum*. Subscriptionem similem quodammodo omnibus Paulinis epistolis additam esse quis negabit? Maxime quoque probabile est, virum, qui hanc epistolam in codicem sacrum receperit, hac subscriptionis similitudine indicare voluisse suam de epistola tamquam Paulina persuasionem. Concedi posse videtur Paulinarum epistolarum subscriptiones originem traxisse ex harum epistolarum initiis, epistolaeque ad Hebraeos subscriptionem ortam esse inprimis e capitis ipsius 13 commatibus 23 et 24. omnesque has subscriptiones additas esse a viro, qui epistolas in codicem sacrum receperit [12]). Sed maxime singularis indolis esse hanc subscriptionem, nemo negabit. Neque enim, ut est in epistolis Paulinis, locum aliquem peculiarem indicat, unde sit missa, sed potius totam terrae partem. Praeterea etiam ista subscriptio luculenter contradicere videtur cap. 13. commati 23. In hoc enim commate auctor epistolae scribit minime de epistola per Timotheum afferenda, sed promittit potius, se, Timotheo tum *ἀπολελυμενῳ* [13]) citius reverso, eodem itineris socio,

---

12) Agnoscunt hoc optimi quivis librorum sacrorum interpretes, quorum numero adscribendus etiam esse videtur Elsing in diss. *de analysi logica epistolae ad Hebraeos.* 1748. dicens: *ecquis auctor talia ipse addet?* Ab epistolae tamen auctore ipso hanc subscriptionem repetunt alii, inter quos est Carpzov in *Exerc. Phil. ad hanc epist. Prol.* p. 65. provocans ad similem epistolarum Ciceronianarum indolem.

13) Non est, quod hoc loco de vocabulis perquam ambiguis

ecclesiam Hebraeorum esse invisurum. Neque addita est epistola e ulla mutati huius consilii excusatio, quae merito expectari posse videbatur. Minus igitur cupide egisse videris, si subscriptionem istam non solum per se peculiarem, sed mendosam etiam dixeris.

§. 6.

Auctoritatis apostolicae in fine epistolae silentium.

Abesse porro videtur *in fine* huius epistolae *auctoritatis apostolicae mentio.* Scilicet non solum fortius esse solet Pauli epistolas conclusuri scribendi genus, sed addere solet etiam, aliorum ope in scribendo maxime usus, aliquod indicium suarum literarum satis tutum, quod eo magis necessarium esse videtur, cum literae ipsius nomine fictitiae sine dubio plures conscriberentur. Provocat igitur luculenter in epistolis ab ipso tuto accipiendis ad indicia quaedam autographa 2 Thess. 3, 17. in verbis: *ἀσπασμος τῃ ἐμῃ χειρι Παυλου, εἰς σημειον ἐν πασῃ ἐπιστολῃ*, atque huius signi autographi mentionem disertis verbis facit Rom. 16, 2. Col. 3, 4. Egere videbatur epistola ad Hebraeos, si ipsius gauderet auctoritate, indicio hoc luculentissimo eo magis, cum inscriptio ipsi Paulina plane

---

ἀπολελυμενος et *γινωσκετε* fusius exponatur. Ἀπολελυμενος multi, ad quos referendus est Schulz et Heinrichs de captivitate, alii, quibus annumerandi sunt Carpzov, Storz et Noesselt, de itinere suscepto explicant. Storr tamen contra omnem loquendi usum atque orationis seriem explicare videtur sic: *den an euch abgesendeten.* Cfr. Noesselt in *opusc.* p. 254 seq. l. c. Γινωσκετε in (orma imperativa) sumunt annales Wachleriani ope atque Storrius, qui aestimandi significationem in ipso reperisse videntur, alii ut Noesselt et Schulz in forma indicativi hoc modo: *ihr kennet ja.*

non insit, cumque ecclesia, ad quam erat data haec epistola, remotissimis ipsius ecclesiis merito sit annumeranda, poteratque non nisi in his ecclesiis huius omissionis esse quaedam excusatio, ad quas plures forte dederat epistolas, vel quibus ipsius scribendi genus erat notissimum. Nullum tamen certum subscriptionis autographae indicium in epistola hac reperitur, nulla prorsus in eadem eius nominis mentio, et quae in ipsa huius rei indicia esse videntur, minime sunt tuta: unica enim mentio in eadem Timothei facta istud signum autographum profecto non explet, cum alius quoque epistolae auctor cum Timotheo esse, ut recte monet Ziegler, posset coniunctior atque dubitatio praeterea insit non levis, num iste literarum ad Hebraeos finis genuinus sit existimandus, cum sumere liceat, esse a viro additum, qui cum ad Pauli ipsius auctoritatem provocare non posset, certe Timothei mentionem iniicere studeret [14].

§. 7.

Mentionis Timothei factae salutandique peculiaris ratio.

Abeamus ad *Timotheum*, cuius mentio plerisque satis tuta esse videtur, qua nitatur origo huius epistolae Paulina. Mentioni huic non argumentum tutum inesse, iam §. antecedenti fuit monitum. Et profecto ratio, qua ipsius mentio fit id magis etiam videtur confirmare. Prae caeteris om-

---

14) Carpzov quidem rei huius gravitatem bene sentiens in *Exerc. Phil.* p. 55. subscriptionem Pauli autographam reperit cap. 13, 23. Sed esset hoc autographiae signum dubium profecto in ecclesia remotiori, quae nec habebat inscriptionis Paulinae signum nec cum apostolo ipso erat coniunctissima. De Timotheo, qui cum auctore etiam epistolae alio poterat esse coniunctus videatur Schulz et Ziegler.

nibus dixeris, cur Paulus ad ecclesiam remotiorem atque cum ipso parum, cum Timotheo vero, ut colligere licet e cap. 13, 23., magis coniunctam scripturus, non hunc ipsum Timotheum scribendi socium expectaverit atque exceperit, uti solet in rerum simillima conditione vc. 2 Cor. 1, 1. Col. 1, 1. 1 Thess. 1, 1. Neque etiam negari potest Paulum alia plerumque ratione Timothei iniicere mentionem, ac fit in epistola ad Hebraeos. Nominat quidem ipsum, quod Schulz negare videtur, non minus quam in hac epistola *ἀδελφον* Col. 1, 1. Sed expectari tamen poterat in mentione huius Timothei semel tantum in epistola ad Hebraeos facta et in auctoritate, quam ille Timotheus sibi in ecclesia Hebraeorum conciliasse videtur, si sequimur Hebr. 13, 23. insignior profecto eum appellandi forma. Insignitur profecto a Paulo, in plerisque locis longe illustrioribus appellationibus. Nominat nempe eum *συνεργον του ἐυαγγελιου* Rom. 16, 21; *Τεκνον ἀγαπητον ἐν κυριῳ* 1 Cor. 4, 17; *ἀδελφον ἡμῶν και διακονον ἐν κυριῳ* 1 Thess. 3, 2. Verissimam *του συνεργου* appellationem reperimus, 2 Cor. 1, 1. Phil. 1, 1. Col. 1, 1. 2 Thessal. 1, 1. Philem. 1. — Reperitur praeterea in pistolae fine *salutandi et vota faciendi peculiarior ratio.* Sunt quidem in hoc epistolae fine perquam multa, quae cum epistolarum Paulinarum indole maxime videantur conspirare, si inprimis stilum non respexeris. Ecclesiam invisendi consilium exprimitur 13, 23 uti est Rom. 15, 32. 1 Cor. 16, 5. 2 Cor. 20, 20. *Συνδεσμων* mentionem iniicit, Christianorumque, qui veluti sint *συνδεδεσμενοι* c. 13, 2 uti fit. Eph. 3, 1. 4, 1. 2 Tim. 1, 8. Phil. 1, 7. 13. Philem. 10. *φιλαδελφια* commendatur 13, 1. simillimo modo, uti Rom. 12. De *φιλοξενια* loquitur apostolus comm. 2 simillimo modo ut Pau-

lus Rom. 12, 13. Coniugii reverentia commendatur commate 4 uti Gal. 5, 29. Voluptas lucri cupida, quae notatur 13, 4. 5. a Paulo etiam vehementissime vituperatur Col. 3, 5. Eph. 5, 3. Sed facile dictu est, haec omnia e religionis Christianae indole gravissima, temporisque natura peculiari esse exorta, atque in iisdem fere rebus conspirare omnes fere N. T. epistolas. Videtur tamen epistola ad Hebraeos haec omnia sub finem peragendo, et immiscere quaedam c. 13, 10—15 quae Paulus in eiusmodi argumento tractando non habet et inprimis amare peculiarem *salutandi* et *optandi rationem*. Plenissimus plerumque esse solet epistolarum Paulinarum finis salutationum afferendarum, tum ab ecclesiae, in qua morabatur, episcopis v. c. Phil. 1, 1. tum a toto christianorum coetu ut 2 Cor. 12, 12. tum denique a viris quibusdam singulis nominatim tamen laudatis ut Rom. 16, 21. Sed vide, quam peculiaris sit salutationum allatarum ratio Hebr. 13, 24: *ἀσπαζονται ὑμας οἱ ἀπο της Ἰταλιας*. Mei quidem non esse videtur virorum doctorum in his verbis explicandis disceptationes fusius examinare [15]). Sed hoc vero certissimum est sive sint *οἱ ἀπ' Ἰταλιας* Christiani terrae Italicae, sivi Itali

---

15) Virum, qui epistolae huic subscriptionem addebat, cogitasse *in commemorandis τους ἀπ' Ἰταλιας* de Christianis ecclesiae, apud quam commorabatur, e subscribendi ratione patet et conspirat hic scribendi usus in verbis: *οἱ ἀπ' Ἰταλιας* hac ratione explicandis cum scribendi ratione Philonis in epistola ad Hebraeos maxime comparanda, ut docet Carpzov in *exercit.* p. 660 et Elsing in dissert. supra laudata. De ecclesia etiam Italorum haec verba intelligit *versio Vulgata*. Intelligunt tamen his argumentis gravissimis neglectis *homines ex Italia advenas*, Aquilam inprimis et Priscillam Michaelis; Semler, Hammond, Storr, Schmidt, Schulz, Noesselt *opusc.* 248 C. aliique plures, provocatque inprimis Schulz ad N. T. locos perquam dubios atque in auctoris scribendi genere peculiari vix laudandos, dicendi generis Alexandrini, uti videtur, maxime immemor.

tum temporis apud epistolae auctorem versantes maxime peculiarem profecto dicendam esse istam scribendi rationem. Ecquis enim ecclesiam quandam salutaverit a Christianis totius terrae? Ecquis salutationes attulerit ab hominibus hospitio exceptis, silueritque de hospitum nominibus? Ecquis denique apostolus peregrinorum salutationes adscripserit immemor salutationum ab ecclesiae membris acceptarum? Optandi denique ratio: ἡ χαρις μετ' ὑμων παντων peculiarior est dicenda, si volueris comparare in eadem re epistolas Paulinas v. c. Rom. 15, 33. 1 Cor. 16, 23. 2 Cor. 13, 13. Gal. 5, 8 etc.

§. 8.

Doctores in ecclesia Hebraeorum tractandi peculiaris ratio.

Habebant sine dubio apostoli omnes, qui magna in ecclesia Christiana gaudebant auctoritate, *doctores Christianos* cum ipsis coniunctissimos, quibus praeerant, et qui ipsorum auctoritate omnes ecclesiae res curabant meritoque eorum numero adscribendus est Paulus, ut tota epistolarum ipsius docet forma infra adhuc hac in re tangenda. Diligentius profecto observandus est mos, Pauli inprimis, in his *doctoribus tractandis* observatus. Fraterno enim animo cum ipsis res ecclesiarum curat, socios eosdem laborum suorum sumit, eosque non parum prae aliis distinguit. Distinctos ecclesiae doctores legis v. c. Phil. 1, 1. Laborum socios eosdem sumit et tractat v. g. Rom. 16, 21. 1 Thess. 1, 1. 2 Thess. 1, 1. Fraterni eiusdem in ecclesiae doctores animi testes sunt epistolae ad Timotheum, Titum et Philemonem et multi epistolarum ipsius loci v. c. 1 Cor. 4, 17. Neque tamen

minus admodum strenuus esse solet in iisdem admonendis et corrigendis, eosque adeo in epistolis ipsis ad ecclesias eorum datis tangit, adhortatur adeoque vituperat. Plenissimum eiusmodi admonitionibus atque correctionibus est inprimis caput 12 epistolae ad Romanos. Gravissime in epistolis ipsis ad ecclesias datis castigat ecclesiae doctores, qui ipsius deseruerint partes v. c. 1 Cor. 1, 12 seq. 2 Cor. 11, 1 seq. item cap. 11 et 12. Ecclesias praeterea admonet ad obsequium doctoribus praestandum atque ad alimenta ipsis praestanda v. c. 1 Thess. 5, 12. 13. Gal. 6, 6. Nec tamen ullibi ecclesiae doctores per ecclesiae membra salutat, uti fit Hebr. 13, 24. Nec etiam ullibi admonet ecclesiam, ut doctorum imitetur exemplum, uti legimus Hebr. 13, 7. Nullibi denique doctores quosdam ecclesiae fundatores agnoscit, uti obvium est Hebr. 13, 7; sed pro ecclesiarum curatoribus eosdem habet. Cfr. 1 Cor. 3, 6. Praetermittenda denique non est appellandi doctores consuetudo longe alia, atque est in reliquis N. T. epistolis scilicet appellatio των ἡγουμενων, de qua tamen infra dicendi erit occasio. Conspirat, ut video mecum in hac re hinc inde Schulz, p. 130 seq. nec maioris momenti esse videntur, quae proferunt contra ipsum *Annales Wachleriani* saepius laudati.

§. 9.

Auctoris, quae de se ipso proferat, indicia plane peculiaria, e rebus epistolae historicis petenda.

Admiscere solent epistolarum omnium auctores in epistolis ipsis exhibendis, *si qua quaedam peculiaria*, sumta nunc e temporis, quo vivebant, ratione, nunc ex ipsorum se gerendi consuetudine, quibus exhibeant certa sui *quaedam indicia*, *qui-*

busque se ipsos prodant. Nec deesse videtur auctoris epistolae ad Hebraeos eiusmodi se ipsum indicandi mos, in scribendo hinc inde conspicuus. Loquitur enim de Christianorum, ad quos scribebat, durioribus quibusdam perpessionibus, quibus multa ipsis fuerint erepta et quibus doctores, ecclesiae fundatores, ipsis fuerint ademti. Cfr. cap. 10, 32. 34. cap. 10, 7. Mentionem facit vinculorum suorum, in quibus expertus fuerit ecclesiam Hebraeorum συμπαθησαν (cap. 10, 34.) seque tamen his vinculis liberatum atque hinc ad proficiscendum proclivem describit cap. 13, 23. Exponit de institutione ecclesiae Hebraeorum in plerisque religionis Christianae capitibus non exigua et diu ante facta, cui desit modo certa de auctoritate Iesu maiori persuasio. Cfr. cap. 5, 12 seq. 6, 12. *Δια χρονον* nempe eosdem religioni Christianae addictos esse scribit h. e. *diutius iam.* Excusat idem epistolae auctor et scribendi audaciam cap. 13, 22 et literarum ad ipsam ecclesiam datarum brevitatem c. 13, 22. Inserit se auctor denique numero eorum, quibus religio Christiana ab apostolis fuerit impertita. Cfr. cap. 2, 3. Videtur profecto ex his omnibus concludi posse seriorem esse huius epistolae auctorem, quam fuerit Paulus, cuius rei infra etiam plura proferentur exempla. Hac concludendi ratione utuntur etiam Eichhorn, Schmidt, Ziegler, Schulz aliique plures, secuti in hac re multorum ecclesiae patrum sententias. Urget praecipue Eichhorn hoc, duplicem Pauli apostoli captivitatem probari profecto non posse [16]). Inprimis vero nullus apostolorum scribendi excusat audaciam, uti est Hebr. 13, 22; sed ipsi potius ad docendum obstrictissimi

---

16) Cfr. *die Einleitung in das N. T.* 3. Th. p. 563.

sibi videbantur. Nullus etiam eorum breviores excusat epistolas, sed Paulo potius videntur quodammodo longiores epistolae, quae vix dimidiam epistolae ad Hebraeos explent partem. Cfr. Gal. 6, 11 [17]. Paulus denique nullibi profitetur, se apostolorum fuisse discipulum, apostolis potius se ubique annumerat et religionis capita ab ipso Deo et Iesu sibi impertita fuisse dicit. Se v. c. κλητον ἀποστολον vocat Rom. 1, 1. A Deo ipso se doctrinae evangelicae promulgandae destinatum fuisse dicit v. c. Gal. 1, 15., ὑπηρετην Χριστου και οἰκονομον μυστηριων Θεου se vocat 1 Cor. 4, 1. seque non minorem esse dicit reliquis apostolis 2 Cor. 11, 5. Se apostolorum signa edidisse dicit 2 Cor. 12, 12., ad institutionem a Iesu et Deo impertitam provocat 1 Cor. 11, 23. 15, 3. Difficillimum igitur dictu esset, si idem apostolus in epistola ad Hebraeos de apostolica auctoritate plane sileret, quin adeo apostolorum discipulum se profiteretur et scribendae epistolae apostolicae audaciam excusaret.

§. 10.

Lectorum peculiarior indoles.

Videmus, epistolae ad Hebraeos interpretes in ea explicanda in diversissimas abire partes. In eo tamen profecto ad unum omnes consentiunt, hanc epistolam datam esse ad coetum Christianorum, qui antea Iudaismi formulae fuerint addicti; possesque, de quo infra plura dicendi erit occasio, addere,

---

17) Caute quidem laudandus esse videtur iste locus, ad quem Schulz tantopere provocare videtur. Profecto enim apostolus de literis tantum longioribus loquitur, quas propria scripserit manu. Vidit haec nuperrime etiam Steudel saepius laudatus a me.

hos Iudaeos inprimis fuisse Alexandrinos. Neque potest esse ulla dubitatio de ecclesia hac e Iudaeis collecta. Totum enim epistolae argumentum data opera ita selectum est, ut videas, Iudaeochristianos, qui imbuti quidem fuerint doctrinae Christianae capitibus, sed quibus tamen deerat persuasio de mortis a Iesu toleratae necessitate et dignitate atque de Iesu in abroganda oeconomia Iudaica auctoritate et facultate. Pertinent huc omnia in epistola ad Hebraeos proposita, atque si sumseris, hos Iudaeos fuisse Alexandrinos maxime, hinc inde singulariori modo proposita clarissima luce erunt collustrata. Gravissime profecto auctor laborat in eo, ut evincat dignitatem Iesu maximam, maioremque inprimis dignitate Mosis atque angelorum. Egebat vero contra Iudaeos maxime eiusmodi demonstratione. Persuasissimum enim erat Iudaeis, oeconomiam mosaicam a Mose tantae auctoritatis viro et ab angelis ipsis promulgatam non nisi a viro abrogari posse, qui esset Mose et angelis longe praestantior [18]). Adhaerebant Iudaei sacerdoti inter ipsos summo, a Deo ipso instituto, atque tota stirps Aaronitica maxima erat ipsis auctoritate. Explicaveris inde, cur epistolae auctor tantopere occupetur in sacerdotali munere longe exquisitiori Iesu tribuendo, curque, cum Iesus e tribu Aaronitica genus non duceret, ut auctor ipse fatetur cap. 7. commate 14., confugiat ad Melchisedecum, atque hunc Melchisedecum coloribus pingat maxime vividis et ornatu plenissimis [19]). Cogitabis

18) Cfr. de hac Iudaeorum sententia Schötgen in *horis Hebr. et Talmudd. ad Hebr.* 1. *et Peircii Comment. ad ep. ad Hebr.* p. 65.

19) Erat scilicet Melchisedecus non tam sacerdos, quam gregis Arabum aliquis princeps, qui Abrahamo e proelio reduci gratulabundus obviam fiebat atque e populorum orientalium more

porro Iudaeos, quibus mors Iesu maximo erat offendiculo, et causam habebis, cur auctor huius necis ne verbulo quidem faciat mentionem, cur loquatur tantum de eo, quod Iesus *απεθανε εξω της πυλης* cap. 13, 12. curque defendat *αἱματεκχυσιαν* ipsius utpote ad victimam offerendam necessariam. Quodsi auctor scribit ad Iudaeos, facilia sunt etiam exempla ex historia ipsorum petita [20]). Alexandrinis denique Christianis, qui fuerant Iudaei, scripturus, poterat plurima afferre, quae ipsis essent maxime amata et quibus suffulcire posset sententias suas multo magis, quam argumentis aliis longe gravioribus. Sed de his plura dicendi infra adhuc offeretur occasio. Respicit quidem Paulus quoque in epistolis suis res Iudaeorum quam maxime [21]). Neque tamen ullam epistolarum suarum scripsit ad Iudaeochristianos solos, sed ad ecclesias potius, ad quas gentiles simul ac Iudaei erant recepti, occupanturque hinc etiam ipsius epistolae in Iudaeis magis refellendis atque vincendis, quam ad religionem Christianam adducendis in eademque firmandis; quid? quod luculentissime etiam declarat Paulus, se gentilium potius, quam Iudaeorum esse apostolum. Cfr. Act. 21, 18 seqq. 22, 21.

---

dona quaedam ab Abrahamo accipiebat. Auctor contra hoc Melchisedeci exemplum, uti quoque Stolz recte vidit, omnimodo ita instruit, ut eo magis suppetat ipsi argumentandi exinde ratio.

20) Plura huc pertinentia habet Ammon in der *Christologie* 3, 31. 32. Ziegler in der *Einleitung in den Brief an die Hebräer* S. 117. Eichhorn in der *Einleitung* 3. Th. S. 478. Schulz in der *Erklärung des Briefes an die Hebräer* S. 60. 69. atque Elsing in *analysi logica epist. ad Hebr.* p. 2., etiam Michaelis ad Peircii *Comment.*

21) Cfr. Meyer in der *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs.*

§. 11.

Mitior atque magis disposita scribendi ratio peculiaris.

Neque tamen absoluta sunt, quae de indole epistolae ad Hebraeos in genere consideratae scribenda mihi sumsi. Etenim ad formam eiusdem generaliorem, quae est maxime singularis, pertinet adhuc genus scribendi mitius [22]), quod remotum et a paterni amoris suavitate et a disciplinae severitate, intima legentium praecordia perscrutatur atque omnia prudentissime ac quietissime adhibet persuadendi et commovendi auxilia. Quae quietius in ipsa epistola tractantur, ea strictiori insuper ordine proposita legis. Iohannes quidem apostolus amore veluti paterno ad epistolas exarandas accedit, raroque, ut 1 Ioh. 3, 8. 15., mollissima hac scribendi ratione excidit. Lectores ipsi sunt *τεκνια και ἀγαπητοι.* Ad scribendum ita accedit, ut de gaudio cogitet, quod literis missis in lectoribus sit excitaturus (1 Ioh. 1, 4.), utque causas indaget, quibus commotus ipse religioni Christianae firmiter adhaereat 1 Ioh. 1, 3. Pleraque tractat, prima pluralis, quam dicunt, persona loquens, excusatque adeo scribendi audaciam (1 ep. 2, 21). Virtuti excitandae causas admovet atque de virtutis studio tanquam de amore infantium erga parentes cogitat 1 ep. 4, 17 seqq. Virtutis tramitem relinquentes ipsi sunt a scopo veluti aberrantes 1 ep. 3, 7., epistolaeque finem amore plenissimum hunc scribit: *Τεκνια φυλαξετε ὑμας.* Paulo ad scriben-

---

22) Eodem, ut video, modo indicat Eichhorn in der *Einleitung in das N. T.* 3. B. 2te Hälfte. S. 459. dicens: *die Schreibart ist ruhiger, als die des affectvollen Paulus, und in der Ausführung mehr Disposition.*

dum accessuro lectores obversantur tanquam discipuli, qui sint docendi, acrius admonendi atque adeo castigandi. Ἀγαπητους saepius eosdem vocat, sed lubentius tamen ἀγαπητους ἐν Κυρίῳ, ut 2 Thess. 7, 1.; ἠγαπημενους ἀδελφους 1 Thess. 1, 4. Phil. 4, 8.; ἀδελφους ἀγαπητους και ἐπιποθητους Phil. 4, 1. plerumque tamen ἀδελφους simpliciter, ut Rom. 10, 1. Phil. 3, 1. Eph. 6, 10. Gal. 3, 15. 1 Cor. 2, 1. 3, 1. 2 Cor. 8, 1. 1 Thess. 2, 1. 4, 1. Τεκνων appellatione semel tantum utitur Gal. 4, 19. tum, cum ipsius animus vehementius commotus esse videretur. Timotheum tamen saepius τεκνον appellat, v. c. 1 Tim. 1, 18. 2 Tim. 2, 1. Permulta in epistolis de se ipso immiscet, ut Gal. 1, 12, 2 Cor. 2, 1. Docens rarius prima pluralis persona utitur, ut 1 Cor. 10, 9. 2 Cor. 5, 1. 7, 1. Gal. 6, 1. Poenas sumendas minatur, ut Rom. 1, 28. 2, 8. 9. 6, 9.; deque ῥαβδῳ adeo loquitur 1 Cor. 4, 1. Uterque vero apostolus strictiori scribendi ordine minime utitur, sed verbulo saepius ad has vel illas ambages abripitur, ut Gal. 3, 21 seqq. aliisque in locis. Epistolae ad Hebraeos auctor nec amici, nec doctoris personam induisse, sed tractatione potius rei propositae omnibus numeris absolvenda inniti videtur, hinc inde tantum acrius suasurus. Quando Iohannes infantes veluti levissime tangit paternoque modo commovet, Paulusque discipulos quasi nondum adultos severius tractat, epistolae ad Hebraeos auctor iuvenes veluti adultiores tractat, quibus possit pro aetatis ratione longinquius quaedam acclamare, quosque possit aliquo modo firmare. Scribit hinc prima plerumque pluralis persona, quam vocant, atque contemplando potius quam docendo atque admonendo occupatur, ut cap. 2, 1. 3. cap. 4, 1. 2. 3. 11. 14. 15. 16. Abreptus tantum argumenti gravitate hinc

inde admonendo est vehementior, ut cap. 10, 20–23. Rarius lectores alloquitur ἀγαπητους 6, 9.; ἀδελφους ἀγαπητους 10, 19.; et ἀδελφους ἁγιους, cap. 3, 1., quarum ultima formula quoque occurrit 1 Thess. 5, 21. et sine dubio nonnisi hoc sibi vult: christiani [23]). Cum pro huius libelli ratione minime de epistolae ad Hebraeos auctore, sed de indole tantum eiusdem peculiari exponatur, possum profecto his a me propositis acquiescere nec mihi res est cum iis, qui hoc scribendi, ut verbo utar, idioma vario modo explicare conantur [24]).

§. 12.

Epistolae ratio peculiarior in forma minus polemica.

Formam epistolae ad Hebraeos in universum perpendentibus observandum erat hoc quoque, istam epistolam scriptam esse *consilio minus polemico*, sed docendi potius atque adhortandi animo, ubi *adversarios certos* non viderit [25]). Plerasque N. T. epistolas scriptas reperies, et contra caerimoniarum Iudaicarum fautores maxime immites eosque certos quosdam, contra religionis Christianae irrisores et contra homines, qui, ipsis satis noti, hostili essent contra apostolos religionemque Christi animo. Eiusmodi animo polemico Paulus apostolus in epi-

23) Christianos e Iudaeis plerique intelligunt, ut Peircius, Carpzov. Michaelis respicit ad christianos qui ἅγιοι sint, victima a Iesu pro ipsis oblata.

24) *Annales* Wachleriani dicunt, Paulum scribentem ad ecclesiam, quae fuerit in dioecesi alius apostoli, ab idiomate epistolarum decessisse suarum.

25) Neque tamen disputaverim de verbo contra Steudelium, cum sensu latiori omne sit polemicum, quo rei veritatem ostendas, et ubi adversarii possint cogitari.

stola ad Romanos rem gentilium contra Iudaeo-christianorum impugnationes notissimas acrius tuetur cap. 2. Iam se defendit contra criminationes certas eorum, qui iter ipsius intermissum suspectum reddiderant cap. 1, 13. 14. 15. 16. iam bellum veluti suscipit contra Iudaeochristianos ipsi satis notos, qui Abrahamum stirpis auctorem habentes meliori loco sibi videbantur esse, cap. 4, 1 seq., nunc dignitatis religionis Christianae contra iudaizantium machinationes satis certas suscipit causam. Calumnias Paulus absens in ecclesia Corinthiorum ab hominibus, qui innotuerant, erat expertus, certiorque factus, et de ecclesiae eiusdem maculis maximis et de dissidiis peculiaribus in eadem ortis. Luculenter haec omnia in epistolis suis ad hanc ecclesiam datis impugnat, suamque gravissime inprimis contra hos defendit auctoritatem. Ad ecclesiam Galatensem literas daturus respicit rixas graviores in ista ecclesia ortas, quarum nuntius ad ipsum erat delatus, auctoritatemque simul suam contra hostiles aliorum aggressus tuetur, quos ipse erat expertus. Polemici huius consilii vestigia, quae in omnibus fere N. T. epistolis reperiuntur, in epistola ad Hebraeos luculentiori modo non invenies, sed consilium potius scriptoris, qui temporum rationem Iudaeorumque in recipienda religione Christiana indolem communem respiciens, quamvis apostolis non esset annumerandus, nec esset ad scribendum provocatus, pro aetatis tamen reverentia aut doctrinae Iudaicae luminibus aut alia quadam de causa, quasdam ad hanc Hebraeorum ecclesiam Christianam dare posse sibi videbatur literas, quibus istius fides in Iesum firmaretur atque corroboraretur. Admonitiones hinc in hac epistola repertae non tam res ecclesiae cer-

tas, quam res eiusdem temporis Christianorum in genere tangunt, videturque profecto ista epistola, in universum perpensa, habere idioma quoddam peculiare.

§. 13.

Formae, quae sit homiliae simillima, origo.

Fuerunt denique, qui formam literarum ad Hebraeorum ecclesiam datarum epistolarem plane negarent, et homiliae potius atque tractationis indolem in ipsa reperisse sibi viderentur. Sententias in hac re veterum Bertholdt refert [26]) et defendit inprimis recentioribus temporibus eandem sententiam Berger. [27]). Nec negari potest, in hac re cum veritatis specie aliqua posse multa disputari. Res tamen ad logomachiam redire videtur [28]), ortam inprimis exinde, quod argumenti tractatio peculiari de causa, uti supra monuimus, quietior est, quam in aliis N. T. epistolis. Caeterum huius rei disceptatio ad huius libri consilium non pertinere videtur, quod in eo tantum versatur ut epistolae indoles peculiarior indagetur.

---

26) Vid. dessen *historisch-kritische Einleitung in die Schriften des A. und N. T.* 6. Th.

27) Cfr. dessen *Brief an die Hebräer, eine Homilie — in der Göttingschen theol. Bibl.*; item dessen *moralische Einleitung ins N. T.* S. 442.

28) Eiusdem sententiae est Schmidt in der *histor. kritischen Einleitung ins N. T.* pag. 273. Cfr. etiam Weber in *Diss. de numero epistolarum ad Corinthios rectius constituendo.* Nolunt tamen obiectionum gravitatem perpendere Steudel in dem Bengel'schen *Archive für die Theol. und ihre neueste Literatur*, 4. Bd. 1. St. pag. 63. aliique; fundamento tamen iidem minime tuto satis secure niti videntur.

§. 14.

Scribendi ratio in hac epistola plane peculiaris.

Quae in hac tractatione sint praemonenda.

Neque tamen satis esse videtur, fugitivo veluti intuitu generaliorem epistolae ad Hebraeos formam perlustrare, ut evincatur indoles ipsius maxime peculiaris. Plura potius tractationi hucusque tentatae sunt addenda, sumta prae caeteris omnibus e *scribendi ratione huius epistolae plane singulari*. Sunt viri docti, qui in decernendo epistolae nostrae idiomate parum huic diversae scribendi rationi velint tribuere, Ziegler, Schulz, Steudel, Scheibel aliique [29], dicentes, hanc diversitatem non nisi esse subiectivam, eandemque pendere vel a tractationis forma, vel a rerum tractatarum indole, vel ab auctoris aetate provectiori, vel ab idiomatis in aliam linguam translati natura. Sunt etiam, qui hanc in *scribendo diversitatem* plane nolint agnoscere, sed similitudinem potius in scribendo magnam cum scribendi ratione Paulina reperire malint [30], quique eo magis prodere videantur sententiam, esse hanc, secernendi epistolam ad Hebraeos, rationem non nisi subiectivam et plane du-

---

29) Ziegler in der *vollständigen Einleitung in den Brief an die Hebräer* S. 249; Schulz in dem *Briefe an die Hebräer* S. 25. 52 et 135, Steudel in dem Bengel'schen *Archive* 4. Bd. 1. St. S. 63 seq. et Scheibel in den *exeget. Fragmenten des N. T.* in Köthe's *Zeitschrift* 1. Bd. 1. H. p. 132.

30) Storr in der *Einleitung zum Briefe an die Hebräer*, Weber in *diss. de numero* etc. Meyer in dem Ammon'schen *Journale* 2. Bd. 3. St. und in der *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs*; inter veteres vero Carpzov in *exerc. Phil.* aliique.

biam. Sed verissima tamen sunt atque experientia probata, quae Gersdorf[51]) in hac re profert, infimae etiam conditionis hominum quemque peculiaria quaedam amare in loquendi indole usuque dicendi, quibus literas ipsius dignoscas ipsiusque sermones ab aliorum loquendi usu secernas. Eadem quoque non solum in libris veterum legendis Graecorum et Latinorum poteris observare, idemque etiam est clarissimum, si N. T. epistolas inter se volueris conferre. Scribendi vero haec peculiarior indoles in epistola ad Hebraeos gravioribus etiam de causis maxime notanda est. Scilicet non solum reperitur in ea scribendi genus a Paulino in universum discrepans, sed usus inprimis verborum Alexandrinus, uti docebitur, atque plura praeterea insunt scribendi, ut hoc vocabulo utar, idiomata. Poteris quidem obiicere, epistolam ad Hebraeos, cuius loquendi usum cum usu dicendi reliquarum N. T. epistolarum volueris comparare, non idiomate suo, sed potius versione aliqua esse asservatam, vel reliquas N. T. epistolas fuisse hoc fato pressas. Neque tamen et haec, si poterunt ad liquidum perduci, cum veteres interpretes idiomata pressius sequi solerent, indolem scriptorum peculiarem delere penitus potuissent. Poterit igitur comparatio ista certe institui, quatenus hae epistolae formam suam nobis iam exhibeant receptam. Maximam iam huius epistolae in scribendo diversitatem agnoscit *Origenes* apud Eusebium 6, 25[52])

---

51) In den *Beiträgen zur Sprach-Charakteristik der Schriftsteller des N. T.* Einleit. S. 1. 2.

52) Epistolam ad Hebraeos ipsam graeco idiomate esse scriptam, multis, ut mihi persuasum est, rebus doceri profecto posset, nisi consilium libri hanc materiam mihi interdiceret. Docuerunt hoc Eichhorn in der *Einleit.* p. 498. Ziegler in der *Einleit.* p. 187 seq. Bertholdt in der *Einleit.* 6. Bd.

in verbis: *ἀπομνημονευσαντος τα ἀποστολικα και ὡςπερ σχολιγραφησαντος τα εἰρημενα ἀπο του διδασκαλου* et in *homil. οὐ το ἐν λογῳ ἰδιωτικον του Παυλου ἀποστολου. Πᾶς ὁ ἐπισταμενος κρινειν φρασεων διαφορας, ὁμολογησει ἄν.* En vero apparebit, ut crediderim, scribendi stilum in epistola ad Hebraeos maxime peculiarem esse, si perpenderis *ἁπαξ λεγομενα* in eadem occurrentia eorundemque *propriam naturam*, *vocabula* in eadem *plane singulari significatione* obvia, *verborum juncturam singularem*, *in denominationibus de Iesu usurpandis peculiarem consuetudinem*, *vocabulorum compositorum* in eadem *multitudinem*, *scribendi genus* in hac epistola maxime *Alexandrinum*, *scribendi formulas maxime peculiares* in eadem lectas et *genus scribendi fortius* atque *exquisitius*. Haec deinceps tractando occupabitur huius libelli *pars secunda*.

§. 15.

Excipitur scribendi peculiaritas, quae poscatur ab argumenti singularioris natura.

Inchoanti mihi iam materiam de epistolae ad Hebraeos *ἁπαξ λεγομενοις*, duo prae caeteris omnibus praemonenda esse videntur, *alterum* de *provida cura*, qua *ἁπαξ λεγομενα* varii generis *sint* et per se et inprimis in epistola ad Hebraeos *secernenda*, *alterum* de *Luca*, qui mihi videtur in seligendis epistolae ad Hebraeos *ἁπαξ λεγομενοις* plane esse *excipiendus*. *Ἁπαξ λεγομενα* librorum originem profecto quam maxime habere possunt ex argumento librorum peculiari, quod in ipsis tracte-

---

pag. 2971. aliique, quamquam iam inter patres quidam, praetereaque Peirciu s in *paraphrasi epist. ad Hebraeos*, Michaelis et alii idioma hebraicum fuisse credunt.

tur. Occurrunt enim, ut docuerunt Casaubonus et Fischer, in Theophrasti *characteribus* vocabula peculiaria profecto, quae interpretum cruces possis vocare, orta e morum saeculi, qui tangantur, natura. In Virgilii Bucolicis et ipsius Georgicis vocabula obvia sunt, quae in Aeneidos libris frustra quaesiveris, e materiae tractatae indole orta. Ciceronis libros de officiis amare vocabula peculiaria quaedam et vocabula singulariori sensu sumenda, quae e philosophiae tractatae principiis emanaverint, quis nescit? Auctor igitur etiam epistolae ad Hebraeos, qui scribendi peculiare consilium ceperat in sententiis Iudaeorum peculiariori modo tangendis atque in ritibus Iudaicae religionis in rem christianam convertendis conspicuum, non poterat non uti vocabulis quibusdam, quae de rebus aliis verba faciens in lucem non protulisset. Vocabulis igitur huius epistolae e rerum tractatarum indole tractandique has res peculiari methodo ortis plane singularibus adscribenda merito sunt v. c. αρχιερευς 2, 17. multisque aliis in locis, τριβολος 6, 8; ακανϑη 6, 8; δεκατη 7, 2. 4. 8. 9; ιερατεια 7, 5, quod in Pauli epistolis non reperis; σκηνη 7, 1. 5. 9, 21. 13, 10 non nisi his N. T. locis obvia; καταπετασμα praeter 9, 3. in N. T. non lectum; Χερουβ 9, 8, τραγος nonnisi Hebr. 9, 12, 13. 19 et 10, 4 repertus; μοσχος 9, 12; σποδος 9, 4; υσσωπος 9, 19; πριζειν 11, 37 et quaedam alia huius generis vocabula, a me in huius epistolae απαξ λεγομενοις enumerandis merito excludenda. Erat enim horum vocabulorum usurpandorum N. T. scriptoribus et inprimis epistolis Paulinis, pro argumenti ad tractandum sumti ratione, nulla profecto occasio. Reliqua tamen vocabula in epistola ad Hebraeos plane peculiaria frustra hinc poteris explicare, quod sunt prae-

cipue e scribendi genere peculiari Alexandrinorum sumta; atque ab auctoris senio aliisque huius generis causis non possunt deduci. Enumeraturus hinc vocabula huius epistolae singularia respexerim inprimis usum loquendi Paulinum, excluserimque prae caeteris omnibus usum loquendi Lucae, qui quod faveat meliori Graecorum Alexandrinorumque loquendi usui magis quam reliqui N. T. scriptores, merito omnium maxime videtur mihi in hac comparatione esse omittendus [33]). His praemissis vocabula huius epistolae ἁπαξ λεγομενα ipsa perlustrabo, atque ita inprimis, ut in iis omnibus dictionis potissimum Alexandrinae habeatur ratio.

§. 16.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα *capitis I.*

Sine ullis initiandi literas ambagibus, ut vidimus, rei tractandae ipsi auctor epistolae ad Hebraeos inhaeret, habetque scribendi initium simillimum initio evangelii Lucae hoc: πολυμερως και πολυτροπως παλαι ὁ Θεος λαλήσας κ. τ. λ. Num discrimen sit inter λαλειν et λεγειν numque λαλειν inprimis de effatis divinis usurpetur, ut suadet Schulz ad hunc locum, minime curae meae esse videtur, quanquam etiam λεγειν, quod non negari poterit, *de effatis divinis* usurpatur v. c. Matth. 2, 17. 20. *promulgandi*que notio non nisi huius vocabuli sensus esse videtur, ortus ex additis vocabulis θεου similibusque. Vocabulorum ipsorum πολυμερως et πολυτροπως discrimen non anxie petendum est, uti fecerunt

33) Lucam evangelium inprimis Alexandriae scripsisse, illustrat codex 13. apud Wetstenium. De scribendi eiusdem ratione magis Alexandrina videantur Alexander Morus in *notis ad N. T.* p. 7: Maius in *examine critico N. T.* pag. 375. Eichhorn, Bertholdt aliique.

Rambach, Schulz, aliique, cum in loquendi usu decernendo non debeamus vocabulorum originem premere, uti interpretes agnoscunt optimi. Sermo nonnisi hoc loco est de oraculis prophetarum, quae Messiae tangant adventum atque indolem: πατερας hos Philo nominat Noachum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum. Cfr. *liber: quis rer. div. her.* p. 517. Vocabula tamen ipsa πολυμερως και πολυτροπως sunt luculenter N. T. ἁπαξ λεγομενα, explicata ab Albertio per ποικιλως et δια πλειονων. Πολλους και πολυτροπους coniungit Philo in libro *quis rerum div. her.* p. 521. Πολυτροπως και πολυσχιδως coniungit in libro: *Deus est immut.* Idem Philo πολυμερως και πολυτροπως coniungit in *libro adv. Flaccum* p. 974. Occurrunt etiam ista vocabula sibi iuncta in Iosephi *Archaeol.* 8, 3, 9. Πολυτροποι και πολυειδεις coniunguntur in Philonis libro *de decalogo* p. 759. Conferas praeterea Lamb. Bos. in *Obs. Crit.* p. 25. et *Maximum Tyrium Diss.* 37. Paulus amat vocabulum πολλακις v. c. Rom. 1, 13. Phil. 3, 18. 2 Tim. 1, 16. — Iesu, utpote υἱον του Θεου indolem altiorem auctor descripturus utitur commate 3 verbis: ὁς ὢν ἀπαὺγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποστασεως, scimusque quantopere in ea philosophentur multi theologorum systematis sibi scripti natura ducti. De ὑποστασεως vocabulo infra dicendi erit occasio, ubi de vocabulis peculiari sensu in hac epistola obviis instituetur disceptatio. Hoc vero loco exponendum erit de vocabulis απαυγασμα και χαρακτηρ, quae annumeranda sunt N. T. ἁπαξ λεγομενοις et quae petita sunt ex eodem usu loquendi Alexandrinorum. Ἀπαυγασμα occurrit in libro Sap. 7, 24. in verbis ἀπαυγασμα φωτος αἰδιου, χαρακτηρ vero apud interpretes Alexandrinos Lev. 13, 38. in verbis: χαρακτηρ του παταχαυματος. Ἀπαυγασματος vocabulum Philo habet in libro *de opific.*

mundi p. 33. et *de plantat. Noe* p. 221. et χαρακτηρος in libro *de plant. Noe* p. 216, et in *Fragm.* in Euseb. *praep. evangel.* p. 278. Plura huius rei exempla laudat Schoettgen ad h. l. e Iudaeorum loquendi ratione, ex Alexandrinorum vero Carpzov in *exerc. Phil.* p. 13 seq. [34]). Paulus apostolus quidem, quae fuerit in Iesu, dignitatis mentionem faciens, similem habet tractandi methodum, inprimis Col. 1, 15. 16. neque tamen utitur vocabulis Alexandrinorum in hac re technicis, quae in epistola ad Hebraeos legimus. — Μεγαλωσυνης vocabulum, quod obvium est commate 3 huius capitis et 8, 1. praeterquam apud Iudam solum legitur comm. 25., Pauloque inprimis est inusitatissimum. Alexandrinorum in hoc vocabulo dicendi usum apud LXX. interpretes ad Ps. 79, 1. 101, 2. 2 Sam. 7, 21. 23. Zach. 3, 11. Dan. 2, 20. aliisque in locis reperies. Similem του μεγας iuncturam Alexandrinorum ostendit Schleusner in *Spec.* I et II. ad Bielium. Paulus de eadem re verba faciens pro ἐν δεξιᾳ της μεγαλωσυνης ἐν ὑψηλοις habet Col. 3, 1. ἐν δεξιᾳ τοῦ Θεου et Eph. 1, 20. ἐν δεξιᾳ ἐν τοις ἐπουρανιοις. — Descripserat auctor Iesum utpote του Θεου υἱον, qui sit mundi exstructor atque gubernator, atque de rerum creatarum futilitate, e qua exemtus sit Iesus, loquens, utitur vocabulo ἑλισσειν, quod quamvis sit in N. T. libris inusitatissimum, auditur tamen apud Alexandrinos Ies. 34, 4. Ps. 101, 28. et Philon. contra Flacc. p. 967. Μετασχηματιζειν

34) De notionibus his a Platone ad Alexandrinos transgressis et a Philone inprimis ad res religionis Iudaicae translatis cfr. Eberhard in dem *Geiste des Urchristenthums*, Ammon im *theol. Journ.* 1, 41. Paulus in den *Memorab.* 1. St. p. 34. et praeterea Iohannes Clericus et Kleuker. Res tamen haec infra fusius tractabitur.

habent Iosephus *Antiqu.* 7, 10, 5. et Paulus v. c. Phil. 3, 21. Hesychius idem per στρεφειν explicat, Phavorinus per περιστρεφειν.

§. 17.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα capitis II.

Epistolae ad Hebraeos vocabula maxime peculiaria perlustrare pergentibus offert se cap. 2, 1. παραρρυειν, de quo permulta congesserunt Wolf, Wetsten, Carpzov et Kypke, quorum ultimus vertit *praeterlabi.* Storr hoc vocabulum transfert: *sträflich handeln*, Schulz: *darumkommen.* Neque tamen fingendus, sed potius consuetudine loquendi demonstranda firmandus est usus huius vocabuli. Adamatur hoc vocabulum a LXX interpretibus v. c. Prov. 4, 21. Ies. 44, 4. 14. et a Philone in libro *de posteritate Caini* pag. 247. *de confus. ling.* pag. 334. aliisque in locis, quos laudat Carpzov ad h. l.; oppositum est apud auctorem epistolae ipsum τῳ προςεχειν τοις ἀκουσθεισι. Prov. 3, 4. oppositum ipsi est τηρειν ἐν καρδιᾳ. Sequitur hinc inesse huic vocabulo significationem *animo minus esse attento*, metaphora desumta a fluvio ripas leviter tantum attingente. — Loquitur epistolae auctor commate huius capitis secundo de constantia religioni Christianae eo ardentius exhibenda, quo magis Iudaica etiam religio cultorum suorum repererit constantiam, praemiis divinis ornatam. Utitur in hac scribendi serie vocabulo μισθαποδοσιας, quod insuper legitur cap. 10, 35 et 11, 26. istoque vocabulo tantopere laetatur, ut etiam amet μισθαποδοτητος vocabulum 11, 6. Neque tamen haec etiam vocabula ullibi alias in N. T. leguntur, ut recte agnoscit Schulz pag. 138. sed ἁπαξ λεγομενοις merito annumerantur. Gaudent

tamen et ista vocabula melioris Graecitatis auctoritate. *Μισθαποδοσια* legitur apud Thucydidem 8, 83 et *μισθοδοτειν* in Philone adv. Flacc. p. 985. Cfr. de exemplis pluribus Blackwall in *Crit. N. T.* 1, 1, 3. p. 145. *Ἀθλα* aliis in locis Philo habet, de certaminum inprimis praemiis exponens, et *μισθευσαι* in libro *de migrat. Abrahami* pag. 408. In N. T. scriptis non nisi *μισθος* occurrit, v. c. 1 Cor. 3, 14. 9, 17. — Eadem orationis serie epistolae auctor de maiori Iesu auctoritate verba faciens utitur commate 4. *ἁπαξ λεγομενῳ* N. T. vocabulo *συνεπιμαρτυρειν*, in quo Heinrichs peculiarem emphasin in omni interpretatione singulorum verborum magnopere suspectam reperit, et quod Schleusner. vertit: *insuper docere*, Schulz: *mit bestätigen*, Eckermann[65]) *zugleich bestätigen.* E mea quidem sententia istud vocabulum non nisi positum est pro simplici *μαρτυρειν*; nec video, cur, si in ipso praepositio *συν* urgenda sit, praepositio *ἐπι* non eodem de iure sit premenda. Explicandum esse videtur hoc vocabulum ex amore Alexandrinorum inprimisque auctoris in vocabulis compositis et decompositis; ut Grammaticorum verbis utar, recipiendis plane peculiari, de quo paulo infra dicendi erit occasio. Utuntur eodem vocabulo Philo *de vita Mosis* p. 695. et Diodorus Siculus 16, 21. atque, ut Carpzov rectissime vidit, ibidem non minus pro *μαρτυρειν* est sumendum. *Μαρτυρειν* Paulus amat v. c. Gal. 5, 3. — Legimus commate 9. *βραχυ* pro *δια βραχυ μερος χρονου*. Sic est apud Lucam stilo Alexandrino scribentem ev. 22, 58. Act. 27, 28. apud Alexandrinos 2 Sam. 16, 1. Prov. 5, 14.

---

65) In der *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* 3. Bd. S. 277.

Sap. 12, 10.; et apud Philonem contra Flacc. p. 970 et 976. Eius loco Paulus habet: προς καιρον 1 Cor. 7, 5. προς ὡραν 2 Cor. 7, 8. Gal. 2, 5. προς καιρον ὡρας 1 Thess. 2, 17. Προς ὀλιγον Thucydides habet, ἐν ὀλιγῳ Iohannes 7, 33. 12, 35. μικρον χρονον, Petrus 1. 5, 10. [36]) — Respondet epistolae nostrae auctor commate 14. obiectioni eorum, quibus υἱου του Θεου in corpus humanum transitus mirus possit videri, mirusque profecto erat, si Platonicorum et Alexandrinorum in hac re sententias examinamus de eiusmodi transitu plane silentes. Utitur vero auctor in hac orationis συναφεια vocabulo παραπλησιως, quod alio N. T. loco non legitur, quanquam παραπλησιον, significatione tamen alia, est Phil. 2, 27. Obvium est hoc vocabulum non nisi apud melioris notae Graecos, v. c. apud Xenophontem *Mem.* 3, 4. 10. apud Demosthenem pag. 36, 1, apud Alexandrinos, etiam in Philone, v. c. in libro *de Abraham.* pag. 372 et *de Iudice* pag. 721. [37]) Apud Paulum reperis ὁμοιως, v. c. Rom. 1, 27. 1 Cor. 3, 7. idemque vocabulum etiam Iac. 2, 25. 1 Petr. 5, 7. Ioh. 5, 19. — Innuens auctor causam cur υἱος του Θεου induerit corpus humanum, utitur commate 17 his verbis: εἰς το ἱλασκεσθαι τας ἁμαρτιας του λαου. Ἱλασμον vocabulum reperitur 1 Ioh. 2, 2. 4, 4. ἱλαστηριον Rom. 3, 25. Sed του ἱλασκειν verbum, excepta epistola ad Hebraeos, in N. T. excepto Luca non legitur, in eodemque loquendi usu confugiendum est ad Alexandrinos. Cfr. LXX interpretes Ps. 65, 4.

36) Hoc vocabulum apud Philonem nunc de parvo temporis nunc de parvo rei spatio usurpari, docet Carpzov in Exercit. *Phil.* p. 82.

37) Plura qui conferre voluerit, adeat Wolfium, Grotium et Raphelium in lect. Polybb. et Herodd. ad h. l.

Luc. 18, 13. et **Philo** libro 2 *de monarch.* p. 828, qui habet verba: ινα δια μεσου τινος ανθρωποι μεν ιλασκονται Θεον. Paulus eius loco habet ἀφαιρειν τας ἁμαρτιας, ἀποκαταλασσειν χαριτι, δικαιον καθισταναι, v. c. Rom. 11, 27. Eph. 2, 16. Col. 1, 20. 22. 2 Cor. 5, 18. 20. Rom. 5, 10. 19. Vocabulorum maxime peculiarium in nostra epistola numero merito adscribendum est, ut **Schulz** recte monet pag. 178. et 190., vocabulum μετοχον, quod legitur 1, 9. 3, 1. 14. 6, 4. 12, 8. estque igitur auctori maxime in deliciis. Vertunt hoc vocabulo LXX. interpretes hebr. חבור et חבר v. c. Hos. 4, 17. Ps. 119, 63. Idem vocabulum est etiam apud **Demosthenem** pag. 1411. ed. **Reiskii**. Pro μετοχον ειναι **Philo** amat μεταλαμβανειν, Paulus δεξασθαι.

§. 18.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα *cap. III.*

Epistolae nostrae auctor inde a cap. 3. multa cum eruditione Iudaica disserit, Iesum melioris indolis sacerdotem summum fuisse, quam fuerit sacerdos Iudaeorum summus, profertque et hoc et aliis epistolae locis omnia, e quibus melior Iesu sacerdotis summi indoles possit, Iudaica disputandi ratione, effici [38]). Exponit inter alia plura, Iesum in exquisitiori tabernaculo, in coelo nimirum, sacra fecisse. Adhibet in hac orationis serie 3, 5. vocabulum θεραποντος, quod nullibi alias in N. T. ob-

38) Cfr. **Griesbach.** *diss. de imaginibus Iudd. quibus usus est auctor ep. ad Hebraeos in describenda Messiae provincia*, in *commentt. theoll. editis a* ***Velthusen***, ***Kuinoel*** *et* ***Ruperti***, Vol. II. p. 327. et verba eius inprimis haec: *absonum videbatur, cultum habere absque sacerdote, templis, victimis, altaribus, lustrationibus aliisque rebus. Auctor hinc est ingeniosissimus. Erigebantur sic Christiani et adducebantur.*

vium est. θεραπεύειν, θεράπων, θεραπευειν et θεραπεια apud melioris indolis scriptores graecos inprimis de cultu Dei externo adhibentur, uti est apud Xenophontem *Memor.* 2, 1, 28. Cyrop. 8, 1, 24. Hesiod. in Theog. v. 100. Diodorum Siculum 1, 21. atque Act. 17, 21. Addatur de eodem dicendi usu Philo *de vita Mosis* pag. 654., ubi θεραπεια του Θεου eadem ratione occurrit. Est igitur hoc vocabulum nostro loco non plane synonymum του δουλου, ut plerique, quibus Schulz quoque est annumerandus, cum Hesychio sumunt, sed indicat e mea sententia *sacerdotem*, quod etiam docent verba addita ἐν ὁλῳ τῳ οἰκῳ h. e. in quovis officio sacerdotali. — Disserere pergit, Mosem, quamvis fuerit exquisitissimus του Θεου θεραπευτης, ludibrio tamen et contemtui esse expositum, monetque lectores, ne sint civibus in hac re similes in Iesu contemtui exponendo. Utitur in hac orationis serie vocabulo παραπικρασμου commate 8. et 15., commate etiam 16. verbo παραπικραινειν, quae sunt in nostra epistola profecto ἁπαξ λεγομενα; atque non nisi ex usu loquendi Alexandrinorum explicanda. Vocabulum πικραινειν LXX. *interpretes* adhibent in vertendo hebraico הכעיס Deut. 32, 16. Ier. 32, 29. 44, 3. 8. סרר Ps. 66, 7. מרר Ez. 2, 3. מרה 1 Reg. 13, 21. Ps. 106, 7. 33. 34. 43; παραπικρασμον vero in vertendo מריבה Ps. 115, 8. Παραπικραινειν etiam Philoni obvium est, v. c. in libro 3. *de leg. Alleg.* pag. 82. et libro 1. *de vita Mosis* pag. 648. Μαχεσθαι Paulus amat, v. c. 2 Tim. 2, 24. σκληροκαρδιας voc. Matthaeus et Marcus. — Προσοχθιζειν, quod reperitur commate 10, et 17., frustra praeterea quaesiveris in N. T. atque in hoc etiam vocabulo ad scribendi rationem Alexandrinorum est provocandum. Plures huius generis locos laudat ex

LXX. interpretibus Schleusner sub hoc vocabulo. Est etiam locus apud Siracidem 1, 25. Ἐνδείξασθαι την ὀργην Paulus habet Rom. 9, 22.

§. 19.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. IV.

Epistolae nostrae auctor inhaerens disputationi de populi Iudaici in tractando Mose agendi ratione maxime improbanda, monensque, ne Iudaei tunc temporis similes sint patribus, dum Iesum summum sacerdotem contemnant atque calumnientur, usurpat cap. 4, 11. 8, 5. et 9, 23. ὑποδειγματος vocabulum, obvium quidem apud Iohannem 13, 15. apud Iacobum 5, 10. atque Petrum 2. 2, 6., sed annumerandum tamen quodammodo ἁπαξ λεγομενοις, si Paulum respexeris. Extat et hoc vocabulum partim in *Aquilae reliquiis Deut.* 4, 17., partim 2 Macc. 6, 28. Siracid. 44, 15., partim apud melioris notae scriptores graecos, ut docuerunt Raphelius atque Albertius. Philoni solemne est in libro *de plant. Noe* p. 233. Paulus scribere solet: τυπος Tit. 2, 7. 1 Tim. 4, 12. εἰκων 2 Cor. 3, 18. Col. 1, 15. et ὁμοιωμα Rom. 1, 23. — Vocabulum ἀφανης, quod legitur huius capitis commate 13. quodque Suidas interpretatur per σκοτινος, meliori dicendi usu gaudet, ut docet Irmisch ad Herodotum 1, 11. 5. p. 433. Reperitur praeterea apud Siracidem 20, 32. et apud Philonem in libro *de profug.* p. 455. Maxime solemne erat hoc vocabulum Alexandrinis, cum de λογῳ facerent verba huiusque λογου virtutes enumerarent. Eius loco Paulus habet ἀορατος, v. c. Col. 1, 16. Verbo ἀφανιζειν Lucas quoque, Iacobus et Matthaeus utuntur. — Multa cum eruditione interpretes N. T. versati sunt in explicando vocabulo τραχηλιζειν,

quod reperitur huius capitis commate 13. Conferendi inprimis sunt Krebs in *Obs. Flav.*, Elsner in *Obs. Sacr.*, Carpzov in *Exerc. Phil.* et Rosenmüller. ad h. l. Propria ipsius significatio est: *obtorto collo in iudicium trahere*, et deinde synonymum τῳ φανερουν, uti recte interpretatur Hesychius. Hoc vocabulum N. T. ἁπαξ λεγομενον auditur non nisi optimis Graeciae scriptoribus. Τραχηλιαν Alexandrini habent Iob. 15, 20. quanquam alio sensu. Apud Philonem hoc vocabulum varie usurpari, docet Carpzov in *Exerc. Phil.* p. 208 seq. Eius loco Paulus habet φανερουν, v. c. Rom. 1, 9. — Post disserendi digressionem redit auctor commate 14. ad describendam Iesu indolem summam auditurque commate 16. ei βοηθειας vocabulum, praeter hunc locum non nisi Act. 27, 17. repertum; cuius loco Paulus habet: χαρις και ειρηνη, v. c. 2 Cor. 6, 2. — Legitur denique apud Paulum εὐκαιρειν 2 Cor. 16, 12. et εὐκαιρως 2 Tim. 4, 2. neque tamen εὐκαιρος, et omnium minime reperitur in N. T.: χαρις εἰς εὐκαιρον βοηθειαν. Εὐκαιρου vocabulum reperitur apud LXX interpretes Ps. 104, 27., praeterea etiam 2 Macc. 14, 29. 15, 20. Fragmenta Philonis apud Ioannem Damascenum *Quaest. in Gen.* l. 4. habent: ἵνα των θειων ἐν εὐκαριᾳ ἐπιτυχῃ.

§. 20.

Ἀπαξ λεγομενα capitis V.

Capitis quoque quinti vocabula perlustraturus habebis vocabula maxime peculiaria, Alexandrina inprimis. Μετριοπαθειν commate 2 sine dubio synonymum est του συμπαθειν commate 15., uti omni cum iure agnoscere videntur, orationis serie ducti, Krebs, Carpzov et Schulz ad h. l. Μετριο-

παθειν et μετριοπαθεια sunt vocabula Philoni perquam amata, v. c. *de leg. All.* 3, 85. Paulus contra συμπασχειν amat, ut Rom. 8, 17. 1 Cor. 12, 26. — Sacrificii peculiaris a Iesu oblati mentionem auctor facit commate 7., quod fuerint ipsius δεησεις και ικετηριαι μετα κραυγης ισχυρας και δακρυων. Δεησεις και ικετηριαι vel synonymice sunt sumendae, vel inest Hendiadys. Ἱκετηριων vero vocabulum est N. T. ἀπαξ λεγομενον, quo utuntur Alexandrini interpretes Iob. 41, 3. Simillimo modo apud Philonem sunt ἱκετηριαι και δεησεις in libro de *Cherub.* pag. 116. In libro *de monarch.* 2. pag. 825 dicit, pontificem Iudaeorum summum offerre εὐχας και εὐχαριστιας. — Disserit auctor commate 9., Iesum, quamvis fuerit υἱος του Θεου, acrius tamen incubuisse ad virtutis studium, idque ideo fecisse dicit, ut ad virtutis studium incitans, esset αἰτιος της σωτηριας. Paulus formulam αἰτιον εἰναι εἰς σωτηριαν 2 Tim. 3, 15. exprimit per σοφιζειν εἰς σωτηριαν. Αἰτιος substantive positum in significatione *auctoris* h. e. *ducis* est N. T. ἀπαξ λεγομενον, αἰτιον vero, omisso τι, est Luc. 23, 4. Act. 19, 40. in significatione tamen non plane eadem. Αἰτιος, uti est hoc loco, occurrit apud Iosephum *Antiq. Iud.* 7, 1. ubi verba sunt: της σωτηριας αἰτιος γεγεννημενος. Sic etiam apud Philonem de *agric.* p. 201. ubi sunt verba eadem fere: αἰτιος σωτηριας γενομενος. In libro *de vita contempl.* verba habet: σωτηριας αἰτιος γινεται. — Commate 10. legitur vocabulum ἀπαξ λεγομενον προσαγορευειν, sensu profecto maxime dubio, nisi volueris metaphora desumta ab iis, qui in foro (ἐν ἀγορᾳ) vel sontes, vel insontes declarantur, subiicere significationem: *palam declarare*, uti etiam Schulz cum multis aliis hoc vocabulum intelligit. Habent et hoc vocabulum interpretes Alexandrini, v. c. Deut. 23, 6.

legiturque praeterea 1 Maccab. 14, 40. Apud Philonem quidem hoc vocabulum saepissime occurrit v. c. in libro *de Agric.* p. 197. et in libro *de Abrahamo* p. 367. — *Νωθρου* vocabulum, quod est commate 11. et 6, 12., vario modo ab interpretibus explicatur. *Tarditatis* notionem in hoc vocabulo reperiunt Hammond ad Clericum, Baumgarten, Peircius, Elsner, Storr, Heinrichs, *imbecillitatis* versio vulgata, Hesychius, Chrysostomus, Rambach, Eckermann, *contumaciae* Alberti *Glossarium*; *animi hebetudinem* reperit Schulz, *inscitiam* Rosenmüller, *animi renitentiam* Lambertus Bos atque Heumann. De mea quidem sententia in formula: *νωθρος ἀκοη* ante omnia secernenda est verborum *significatio* a verborum *sensu* 59). Significatio *του νωθρου* difficulter efficitur. Sensus vero formulae *νωθρου τῃ ἀκοῃ* est: *qui percipere aliquid non potest.* Vocabulum ipsum in N. T. est *ἁπαξ λεγομενον* videamusque hinc, quae in ista explicatione suppeditet usus linguae aliunde petendus. *Νωθροκαρδια* legitur Prov. 12, 8. videturque *νωθρου* vocabulo inesse *vitiositatis* notio. 3 Macc. 4, 5. sermo est de *ποδων νωθροτητι*, quae a senio sit repetenda, atque *νωθροτης* indicat *indolem inhabilem, vitiosam.* Esse igitur videtur *νωθρος ἀκοῃ* proprie, qui *laborat vitiosa audiendi indole.* Sensus vero horum verborum, eorundem significatione innitens, esse videtur: *indocilis animae indoles.* Locum ita verterem: *Viele und hohe Dinge darf ich euch nicht vortragen; ihr seyd harthörig und solltet dennoch billig schon grössere Fortschritte gemacht haben.* — Dixerat

59) Cfr. Mori *dissertatio de discrimine sensus et significationis.*

auctor commate 11, ecclesiam Hebraeorum non idoneam esse ad excipienda multa eaque graviora religionis dogmata, quanquam pro temporis ratione, ex quo fuerit christianis adscripta, maiorem religionis notitiam consequi potuisset[40]. Ad religionis notitiam altiorem requiri dicit commate 14. retenta metaphora, αἰσθητηρια γεγυμνασμενα. Est profecto αἰσθητηριον vocabulum, nisi forte vetustissimis codicibus scribendi error irrepserit legendumque sit γαστητηριον, *vis retinendi et concoquendi cibos, quae est stomacho*, N. T. plane ἁπαξ λεγομενον. Αἰσθητηριον καρδιας quidem legitur apud LXX *interpretes* Ier. 4, 19. Apud Philonem libro 3 *de Alleg.* p. 104. sunt verba: ἀνευ συμπαραληψεως αἰσθητηριων, sed sensu tamen longe alio quam in loco nostro. — Ἑξις denique commate 14. non minus est ἁπαξ λεγομενον e scribendi usu Alexandrinorum desumtum.

§. 21.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα capitis VI.

Minime indulgere se posse lectorum in recipiendis religionis dogmatibus imbecillitati, dixerat auctor epistolae cap. 5, 14. pergitque hoc argumento tractando usque ad cap. 6, 3. reditque his peractis ad constantiam Hebraeorum excitandam atque ad

---

40) Intelligit Schulz λογια του Θεου commate 12. *de oraculis divinis* atque στοιχεια de *eorum initiis*. Cum vero Schleusnerum in fingendis significationibus acerrime saepe castiget, caveat profecto, ne eandem suspicionem sibi hac in re contrahat. Ad Philonem provocat, sed eundem non laudat. Rom. 3, 2. in λογιοις Θεου non nisi *effata divina*, νομον, video; usus vero Alexandrinus Sir. 36, 16 et Act. 7, 38. ipsi non minus repugnare videtur, quam in loco nostro orationis συναφεια.

dignitatem Iesu exornandam. Occurrit in hac orationis serie commate 6. vocabulum Paulo certe non usitatum παραδειγματιζειν, metaphora desumta ab iis, quibus ignominiae nota inurebatur. Alexandrinorum in hoc vocabulo adhibendo scribendi usum ostendit Schleusner in *additamentis ad Bielium Spicileg. I.* p. 88. Apud Plutarchum est: ἑαυτον παραδειγματιζειν, *infamem se ipsum reddere.* Paulus amat eius loco ὑβριζειν, v. c. 1 Thess. 2, 2.[41]) — Βοτανης vocabulum, quod est commate 7. *de omni terrae proventu*, praeter locum nostrum in N. T. scriptis non occurrit, saepius tamen apud V. T. interpretes. Terrae frugiferae imagine Philo saepissime utitur, ut l. 3. *de leg. All.* pag. 106 et in libro *de agric.* p. 191. — Ἐπιτυγχανειν comm. 15. et 11, 33. peculiari modo in hac epistola usurpatur, si genitivum additum respexeris. Sine omni casus coniunctione est Iac. 4, 2. Cum accusativo coniunctum reperis Rom. 11, 7. si meliores codices comparaveris. — Ἀντιλογιας vocabulum obvium commate 16. itemque 7, 7. et 12, 3., praeter haec loca et Iud. 11. in N. T. non reperitur estque in hoc etiam vocabulo ad usum Alexandrinorum respiciendum, v. c. Prov. 10, 18. atque ad Philonem l. 3. *leg. Alleg.* p. 73. — Non minus vocabulis huius epistolae maxime peculiaribus annumerandum est ἀμεταθετος commate 17. et 18. Usus Alexandrinorum in hoc quoque vocabulo laudandus, v. c. in Philone *de praemiis et poenis* p. 912. Est quoque 3 Macc. 5, 1 et 12. Caeteri apostoli vocabuli sensum expressuri habent βεβαιος et βεβαιοτης v. c. Rom. 4, 16. 2 Cor. 1, 7. Phil. 1, 7. 2 Petr. 1, 19.

---

41) Plura habent Grotius et Heinsius ad Matth. 1, 19.

§. 22.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. VII.

Plura iam dixi §. 10. de apostoli consilio in comparando Iesu cum Melchisedeco atque de exornato hoc Melchisedeci exemplo, ad quae respiciendum erit in vocabulis quibusdam huius capitis plane singulari modo adhibitis iisque rite explicandis. *Κοπης* vocabulum de bello usurpatum commate 1. non nisi hoc N. T. loco legitur. Interpretes V. T. eo utuntur in vertendo hebr. הכות Gen. 14, 17. *Μαχην* amat Paulus, v. c. 2 Tim. 2, 23., Iohannes *πολεμον*, Apoc. 12, 7. — Maximus profecto est interpretum dissensus in explicandis vocabulis *ἀπατωρ*, *ἀμητωρ* et *ἀγενεαλογητος*, in hoc libro tangendus potius, quam sedulo examinandus. Multa cum eruditione de his vocabulis exposuerunt inprimis Wesseling atque Sturz [42]). Prima horum vocabulorum significatio profecto haec est: *qui patre atque matre caret, quique hinc a nemine genus ducit.* Addenda insuper est descriptio huius Melchisedeci, quae legitur in verbis: *μητε ἀρχην ἡμερων μητε ζωης τελος ἐχων*, quae verba luculentissime docent, uti auctorem designatione Melchisedeci plane peculiari, cui originem dederit Psalmus 110. Nec praetermittendum est, quod recte

42) Wesseling in *Obs.* S. 2, 10. et Sturz in libro *de dialecto Macedonica* et *Alexandrina* pag. 146. quorum inprimis hic Grotium castigat, qui verba haec vertit: *nulla parentum et generis notione exhibita.* De Melchisedeco, qui non habuerit patrem sacerdotem, matrem sacerdotis filiam nec genus sacerdotale, intelligit haec Bauer. in disp.: *Melchisedecus ἀπατωρ* etc, 1720. Refert inprimis Sturz significationes vocabuli ἀπατωρ has 1) *qui patre caret*, 2) *qui patre est orbatus*, 3) *qui patre est indignissimus*, 4) *qui est filius spurius.*

monet Griesbach [43]), auctorem quam maxime occupatum esse in convincendis Iudaeis. Utitur hinc in hac re ipsorum de Melchisedeco sententiis: et commate 1. ne patriae quidem eiusdem nomen in concludendi ratione praetermittit. Addendum est, gentiles aeque ac Iudaeos in describendis maioris momenti hominibus uti simillimis profecto designationibus, Philonem inprimis de Sara eodem plane modo loqui [44]). Quid? quod non video, qua causa ducti velimus in istis vocabulis explicandis quaerere significationes inusitatissimas et divinando veluti repertas. Vocabula ipsa in N. T. libris non occurrere praeter locum nostrum, quis nescit? At vero ἀμήτωρ de Sara occurrit in locis Philonis iam laudatis, uberioremque de Melchisedeco ipso, Abrahamo obviam facto, descriptionem exhibet idem in libro *de Abrahamo* pag. 381 et 382, [45]) in qua descriptione mentionem iniicit sacrorum a Melchisedeco, oblata hac occasione, factorum. — *Ἀφομοιοῦσθαι*, quod est commate 3., non nisi hoc N. T. loco legitur, Philoni est maxime solemne. Occurrit etiam apud Xenophontem *Memor.* 3, 10, 2. — *Διηνεκής*, quod legitur eodem commate atque 10, 1. 12., reperitur apud Synmachum Ps. 48, 15. Philo *de sacrif. Abelis et Caini* pag. 146. habet *διηνεκῶς*, et *διηνεκὲς* in

43) Griesbach in *Comment. de imaginibus Iudaicis, quibus usus est auctor epistolae ad Hebraeos in describenda Messiae provincia* Ien. 1792, quae commentatio est in *commentationibus editis* a Velthusen, Kuinoel et Ruperti Vol. III. pag. 327.

44) Cfr. liber *de temulentia* p. 248 et 489.

45) Schulz p. 195 et 196. non minus, quam Eckermann apostolum his Melchisedeci descriptionibus uti dicunt, quia in V. T. libris eiusdem maiorum non fiat mentio, — quos non altius ingressos miror.

libro *de Abr.* pag. 353. *Εἰς αἰῶνας* Paulus amat et Iohannes utitur vocabulo *μένειν*. — *Ἀκροθινιων* commate 4., quod ab Hesychio, explicatur per *ἀπαρχὴ τῶν θινῶν*, merito annumerandum est vocabulis peculiaribus, quae refert §. 15., monendumque tantum est, manubias hoc loco dici ob argumentandi rationem Iudaeorumque delicias, quae non nisi fuerint habenda pro donis. Cfr. §. 10. — Saepius iam detecta similitudine scribendi, quae sit perspicua inter epistolae auctorem atque Lucam, non miraberis, vocabulum etiam *πατριαρχου*, quod legitur commate 4., apud eundem tantum Lucam reperiri Act. 2, 29. 7, 8. 9. Neque tamen legitur praeterea apud ullum N. T. scriptorem, eo frequentius vero apud interpretes Alexandrinos, v. c. 1 Chron. 24, 31. Exod. 6, 25. Reliqui apostoli, Paulus inprimis, habent *πατηρ*, v. c. Rom. 4, 1. 14. 9, 5. 10. 1 Cor. 10, 1. — Disserens auctor, Melchisedeco, quamvis e tribu Levi genus non duxerit, tamen ius sacerdotii competiisse, atque hinc argumentaturus ad iura Iesu sacerdotalia, etiam si originem a tribu Levi non traxerit, utitur commate 5. vocabulo *ἱερατειας* maxime solemni Alexandrinis, v. c. Exod. 39, 9. 40, 15., inaudito praeterea in N. T. — *Συναντᾳν* commate 10. non nisi apud Alexandrinos Lucamque legitur. — Vocabulum *ἀθετησεως*, quod legitur commate 18. et 9, 26. in caeteris N. T. epistolis non auditur, quanquam verbum *ἀθετειν*, v. c. Gal. 3, 15. 2, 21. 1 Cor. 1, 19. 1 Tim. 5, 12. *Ἀθετειν* Alexandrini interpretes maxime amant varioque sensu adhibent, v. c. 1 Sam. 2, 14. Ies. 1, 2. obviumque insuper est Philoni multis in locis. Paulus amat vocabulum *παλαιοτητος*, v. c. Rom. 7, 6. — *Ἀπαραβατος* commate 24., merito vocabulis N. T. peculiaribus annumerandum, legitur in *Io-*

sepho contra Apion. 2, 47. estque purioris Graeciae vocabulum, ut docuerunt Elsner et Trendelnburg [46]. — *Παντελης*, quod adverbialiter sumtum obvium est commate 25. et praeterea Luc. 13, 11., Paulo non auditur, sed 3. Macc. 3, 12. 31. 7, 40. 11, 30. et Aelian. V. H. 7, 2. Addendus est Elsner in *Obs. Sacr.* T. 1. p. 239. — *Ἀμιαντος*, quod est commate 26. et 13, 4., apud Paulum non reperitur, qui eius loco habet *καθαρος*, v. c. Tit. 1, 3. Rom. 14, 20. 1 Tim. 3, 9., occurrit tamen Iac. 1, 21. et 1 Petr. 1, 4. Legitur etiam 2 Macc. 14, 36. 15, 35. Philo, de pontifice maximo Iudaeorum, verba faciens in libro *de profug.* pag. 466., ipsum simillimo fere modo tanquam λογον θειον describit *παντων οὐχ ἑκουσιων μονον, ἀλλα και ἀκουσιων, ἀδικηματων ἀμετοχον*: videas ex his, quantopere auctor in describendo Messia qua sacerdote summo amet descriptiones de hoc sacerdote inter Alexandrinos maxime solemnes.

§. 23.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. VIII.

Caput huius epistolae octavum perlustraturi reperimus vocabulum peculiare, commate iam secundo, in verbo *πηγνυναι*, quod de tentorio Iudaeorum portatili *exstruendo* usurpatur. Quaerenda est in hoc quoque vocabulo dicendi consuetudo Alexandrinorum meliorumque Graecorum. Reperitur apud Xenophontem in *Anab.* 4, 5. 3. et 11., apud Polybium *Hist.* 6, 25., apud Phi-

---

46) Elsner in *Observ. sacris* ad h. l. Trendelnburg in Eichhorn's *Bibl. der bibl. Lit.* 2. B. S. 225.

lonem l. 2. *de leg. All.* pag. 1097. et l. 3. p. 69. et 65. — *Δωρον*, quod vides commate 3., de sacrificiis usurpatum est quidem Matth. 5, 23. 24. 8, 4. 15, 2. neque tamen apud Paulum, qui eius loco vocabula *προσφορας* et *θυσιας* amat, v. c. Rom. 12, 1. Alexandrini hoc vocabulo utuntur eodem sensu Genes. 4, 5. et Philo, v. c. l. 3. *de Alleg.* p. 97. Plato etiam in libro *de Votis*. — *Φερειν* et *αναφερειν* sunt Philoni vocabula maxime peculiaria sacrificiorum mentionem iniicienti, v. c. in libro: *quis div. rerum her.* p. 505. in verbis: *θυσια, ην υπερ του εθνους αναφερουσιν*, utiturque epistolae auctor hoc vocabulo ipsi in hac re solemnissimo 8, 3. 9, 14. 11, 17. quod praeterea etiam extat Matth. 5, 23., quanquam nullibi apud Paulum, qui eius loco habet *παραστησαι* et *παραδουναι*, v. c. Rom. 12, 1. Eph. 5, 2. — *Χρηματίζεσθαι*, quod legitur commate 5. et praeterquam in aliis epistolae locis, Paulo est inauditum atque non nisi apud Lucam, auctori epistolae in scribendo simillimum, reperitur evang. 2, 26. Act. 10, 22. et Iosephum *Antiq. Iud.* 10, 1, 3: *χρηματισαντος αυτω του θεου.* Utitur ipse hac dicendi formula saepius, ita tamen ut semper audiatur *χρηματιζειν τινι.* Reperitur hoc vocabulum insuper saepius apud interpretes Alexandrinos, ut Ier. 25, 30., nec minus apud Plutarchum et Philonem, v. c. in libro *de Abrah.* p. 482 et 517., sed semper tamen coniunctum cum accusativo, *χρηματιζειν τινα* et *αυτος χρηματιζεται*, uti est apud nostrum atque Act. 10, 22. *Χρηματισμον* voc. Paulus habet Rom. 11, 4., et, quod est *χρηματιζεται* in nostra epistola, ab ipso sic exhibetur: *υπο πνευματος διδοται αυτω* vel *πνευμα ενεργει εν αυτω*, ut 1 Cor. 12, 11. Petrus scribere solet 2. 1, 21. *φερεσθαι υπο πνευματος.* — *Νομοθεσιας* vocabulo

Paulus utitur Rom. 9, 4., neque tamen verbo νομοθετειν, quod legitur commate huius capitis 11. et 7, 11. Loquendi usus in hoc quoque vocabulo repetendus est ex LXX *interpretibus*, Exod. 24, 12. Ps. 118, 33.; e Graeciae scriptoribus, v. c. Xenophonte in *Hist.* 2, 3, 18. et e Philone inprimis, v. c. e libro *de monarch.* p. 822. Paulus eiusmodi vocabulis compositis minus favens eius loco scribit ἐπαγγελλειν νομον, v. c. Gal. 3, 19. — Διατιθηναι, quod scriptum legitur commate 10. et 9, 16. 17., praeterquam etiam apud Lucam evangel. 22, 29. Act. 3, 21. et apud LXX interpretes, v. c. Genes. 31, 44., est. Philo *de opific. mundi* p. 17. habet ἀνθρωπους γραψαμενους ἐν ταις ἑαυτων ψυχαις, uti eodem commate legitur, διατιθεναι tamen, quantum video, non amat. Κυρουν διαθηκην Paulus scribit Gal. 3, 15. 17. — Formulam ἱλεως εἱναι, quae est commate 12., praeter Matth. 16, 20. in N. T. non reperis, sed denuo confirmatur auctoritate LXX interpretum, v. c. Ier. 36, 3., loquendi usu Attico, uti ostendit Alberti ad hunc locum, atque usu Philoniano, v. c. in libro *de nom. mutat.* p. 153 et alibi. Apud Paulum solemne est παριεναι ἁμαρτιας et ἱλεουσθαι, v. c. Rom. 3, 25. Phil. 2, 27. — Graeciae scriptores de legibus antiquatis exponentes utuntur fere semper vocabulo παλαιουν, uti quoque est apud Philonem in libro *de Cherub.* pag. 111 multisque aliis in locis. Hunc meliorem Graeciae loquendi usum imitatur auctor commate 13. Paulus contra utitur formulis καταργειν νόμον, τελον ειναι του νόμου. Cfr. Rom. 4, 10. 3, 31. 2 Cor. 3, 14. — Ἀφανισμον denique vocabulum commate 13. non nisi hoc loco legitur, atque Graecis inprimis solemne est de legum abrogatione exponentibus, ut docet Kypke in *Obs.* ad h. l.

§. 24.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. IX.

Eo procedit epistolae auctor capite 9, ut reperiat adeo in tentorii Iudaeorum sacri ornamentis quaedam, quibus praecelluerit Iesus. Habuisse enim dicit eundem coeli ornamenta, tentorii exornati loco, reperitque huius tentorii ornamenta et in eo, quod eadem hominum manus non tetigerint nec struxerint, quod haec ornamenta non fuerint sanguine maculata, quum obtulerit Iesus *πνευμα* h. e. animam suam tanquam victimam, et quod intraverit Iesus hoc coeli sanctuarium semel tantum. Animadvertimus profecto in his omnibus, quae plerique interpretes fugitivo oculo perlustrant et in quibus ad sententias veterum respiciendi artificia minime reperiunt, Iudaeorum et gentilium de templorum sanctitate sententias, quas auctor tetigerit [47], atque reperimus in his quoque tractatis vocabula *ἁπαξ λεγομενα.* Praetermissis iam *ἁπαξ λεγομένοις,* rei tractatae indole postulatis, reliqua tantum respicienda esse videntur. Occurrit nempe commate 18. *ἐγκαινιζεσθαι*, quod *Chrysostomus* minus recte explicat *βεβαιον γενεσθαι*, et in quo *initiandi templa* ritus et dicendi mos apud Alexandrinos est respiciendus. Merito tamen hoc vocabulum est N. T. *ἁπαξ λεγομενον*, atque de initiandi ritu usurpatur apud LXX interpretes Deut. 20, 5. 2 Chron. 7, 5. Sic etiam occurrit Hebr. 10, 20, quem locum interpretes omnes, quos vidi, minus recte sunt in-

---

47) Miror profecto Schulzium, qui de his omnibus siluerit, iisque neglectis, *δικαιωματα* commatis 1. transtulerit: *Anständigkeiten*, cum sit in hac re usu loquendi plane destitutus, cuius erroris Schleusnerum saepius acerrime accusat. Conferendus erat locus 9, 10.

terpretati. — *Ῥαντιζειν*, quod est commate 19. 21. et 10, 22. respicit h. l. lustrandi ritum eum, quo solebant Iudaei uti, dum initiarentur templum, estque N. T. *ἁπαξ λεγομενον*, quanquam *ῥαντισμος* legitur 1 Petr. 1, 2. Alexandrini hoc vocabulo utuntur 2 Reg. 9, 33. et Ps. 51, 9. — *Αἱματεκχυσια*, commate 22. est vocabulum plane peculiare, quod, docente Stephano in *Thesauro linguae graecae*, alibi plane non auditur, explicandum e ritu Alexandrinorum in usurpandis vocabulis compositis atque ab auctore, qui noluit, ut vidimus §. 10., inficere mortis Iesu mentionem, inventum — *Ἀντιτυπος* commate 24., oppositum *τῳ ἀληθινῳ*, praeter hunc locum non nisi 1 Petr. 3, 21. occurrit, cuius loco Paulus habet vocabulum *σκιας*, Col. 2, 17. Occurrit, quanquam alia significatione, apud Xenophontem *de re equestri* 1, 4. et apud Sophoclem in *Antig.* v. 136. Philo amat vocabula: *ὑποδειγμα*, *παραβολη*, *συμβολον*, *ἀλληγορια* et *τύπος*. Elucet et h. l. amor auctoris in usurpandis vocabulis compositis. — Pro *συντελειᾳ των αἰωνων* commate 26. Paulus habet *τελος των αἰωνων* 1 Cor. 10, 11. *καιρων πληρωμα* Gal. 4, 4. Petrus *ἐσχατοι χρονοι* 1 Petr. 1, 20.[48]) estque respiciendus Iudaeorum de tempore Messiae loquentium mos dicendi, ut agnoscit etiam Carpzov ad Hebr. 10, 26. Vocabulum *συντελειας* ipsum de eadem re obvium est Matth. 13, 39. 40. 49. 24, 3. 28, 20., neque tamen ullibi apud Paulum reperitur. *Συντελειαν του αἰωνος* Philo opponit *τῃ καταβολῃ κοσμου* in libro *de incorr. mundi*.

---

48) Conferatur de hac Iudaeorum loquendi ratione Koppe *Exc.* I. in *epist. ad Ephes.* Minus recte et contra linguae usum vertit Schulz: *Anfang der Welt.*

§. 25.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. X.

Vocabulum ἀνωτερος, quod legitur 10, 8., est apud Lucam 14, 10; neutrum huius voc. adverbialiter positum est N. T. ἁπαξ λεγομενον pro ἀνω λεξας, παλαι εἰπων, ἐπανω λεγων dictum, cuius loco Paulus scribere solet πρωτον 1 Thess. 4, 16. apud Alexandrinos est Ezech. 21, 7. — Προςφατος commate 20., quod Hesychius explicat νεον, νεαρον, est vocabulum N. T. ἁπαξ λεγομενον, Alexandrinis usitatum, v. c. Deut. 32, 17. Philoni hoc vocabulum minus est solemne. Adverbium προςφατως est apud Lucam auctori in scribendi genere simillimum Act. 18, 2. — Ἀκλινης commate 23. N. T. usu non firmandum legitur apud Symmachum Iob. 41, 14.; apud Paulum eadem notio est in βεβαιος Rom. 4, 16. et in στηριξαμενος Rom. 1, 11. 2 Thessal. 2, 15. — Παροξυσμος, *dicendi* vel *agendi vehementia*, legitur praeter Hebr. 10, 24., Act. 15, 39. quanquam significatione alia. Παροξυνεσθαι occurrit apud *interpretes Alexandrinos* Deut. 32, 41., apud Xenophontem *Mem.* 3, 13, 12., apud Polybium *Hist.* 1, 14. Act. 17, 16. *de animi* quadam *vehementia* atque 1 Cor. 13, 5. de amore a rixis alieno. — Ἑκουσιως commate 26., ab Hesychio explicatum per: θελουσῃ διανοιᾳ, occurrit praeter hunc locum non nisi 1 Petr. 5, 21., Paulusque eius loco habet: κατα την βουλην του θεληματος, δια θεληματος, v. c. Eph. 1, 11. Rom. 12, 32. Philo hoc vocabulo saepissime utitur, v. c. in libro *de profug.* p. 461. *de temul.* 253. *de vict.* p. 844. atque Alexandrini interpretes Ps. 53, 6. Adiectivum

ἑκουσιως est Philem. 14. — Φοβερος commate 27. obvium, cuius loco Paulus habet εἰς φοβον Rom. 8, 15., sumtum e consuetudine dicendi Graecorum optima, apud Alexandrinos legitur v. c. Hab. 1, 7. Addantur Sir. 9, 23. 2 Macc. 1, 24. — Ἐνυβριζειν commate 29., N. T. scriptoribus inusitatum, legitur apud Aelianum V. H. 9, 8. et apud Iosephum Antiqu. 5, 8, 12. Paulo est ὑβριζειν, v. c. 1 Thess. 2, 12. — Ἀθλησις commate 32., optimae notae vocabulum, ut docuit Perizonius ad Aelian., sumtumque e certaminibus veterum, est vocabulum N. T. ἁπαξ λεγομενον. Imaginem hanc maxime amat Philo, v. c. in libro *de agricultura* pag. 203 seq. atque Paulus etiam, qui ἀθλειν habet 2 Tim. 2, 5. — Θεατριζειν, quod est commate 33., in unico hoc N. T. loco legitur, sumtumque esse videtur ab iis, qui in theatris ignominiae palam exponebantur. Ὀνειδισμος est 11, 26. 13, 3. Vocabula a theatris sumta in usu esse solent Philoni, v. c. in *legat. ad Caium*, pag. 1041. — Χρονιζειν, quod est commate 37., aliquoties apud Matthaeum et Lucam legitur, neque tamen apud Paulum.

§. 26.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. XI.

Praetermissis iam vocabulis minus solemnibus, quae argumenti indoles in capite quoque XI. poscit, merito tamen horum numero in isto capite eximenda sunt sequentia: — Adiectivum εὐαρεστος legitur apud Paulum Phil. 4, 18. et 2 Cor. 5, 9. neque tamen εὐαρεστειν et εὐαρεστως, quorum prius est huius capitis commate 6. et 13, 16., posterius 12, 28. Usum verbi videmus in Alexandrinis interpretibus Genes. 5, 22. 24. et apud Philonem

in libro *de exerc.* pag. 937. et *de Abraham.* pag. 354. — Ἄστρον, quod audimus commate 12., proprie *de sidere* usurpatum, nostro tamen loco stellas indicat, uti est Luc. 21, 25. Act. 27, 20. atque apud optimos etiam Graeciae scriptores. Neque tamen ullibi Paulus hoc vocabulo utitur, sed ἀστερος potius, v. c. 1 Cor. 15, 41. — Αναριθμητος eodem commate, solemne est Graecis scriptoribus itemque Philoni in libro *de Alleg.* 3. p. 98. neque tamen Paulo. Iohannes sensum verborum ita exhibet: ὧν ὁ ἀριθμος καθως ἡ ἀμμος της θαλασσης. Apoc. 20, 8. Caeterum diligentius observandum adhuc est, nostro loco in laudem Sarae praedicari, quae praedicata sunt a Paulo Rom. 4, 19. 20. in laudem Abrahami. — Παρεπιδημος commate 13., cuius loco Paulus scribit ξενος, v. c. Rom. 16, 23. Eph. 2, 2. non nisi hoc epistolae loco et praeterea 1 Petr. 1, 1. et 2, 11. reperitur. Alexandrinorum in hoc vocabulo usus elucescit e Genes. 23, 4. Ps. 39, 13. Imago ipsa usitata est et Graeciae scriptoribus, e. g. Aeschin. *Socr. Dial.* 3, 3., et Philoni in libro *de Cherub.* 128. *de Agric.* 196. aliisque in locis. — Τριμηνου quoque vocabulum exquisitius commate 23., quod unice hoc loco reperitur, habet usum loquendi Alexandrinum v. c. Genes. 38, 24. Τρεις μηνας Philo habet. — Ἀστειος commate 23. repertum legitur quoque apud Philonem in *vita Mosis* 1. p. 604. de eodem infante et praeterea Act. 7, 20, neque tamen apud Paulum. — Διαταγμα, quod scriptum est commate 23., habent LXX *seriores* Esrae 7, 11. nec tamen amplius in N. T. auditur. Ἐπιταγμα Lucas habet evang. 2, 1. Paulus δογμα Eph. 2, 15. — Συγκακουχειν repertum commate 25., est N. T. vocabulum ἁπαξ λεγομενον. Nec κακουχειν, quod est

cap. 11, 37. 13, 2., uspiam in N. T. reperitur. Usum loquendi Alexandrinum habemus 1 Reg. 9, 26. Θλιβειν Paulus scribere solet 2 Cor. 1, 6.— *Κατασκοπος* commate 31. de exploratoribus usurpatum confirmatur auctoritate Philonis, v. c. in *vita Mosis* p. 637. *Αγγελου* vocabulo utitur eadem narrans Iacobus 2., 25. Verbum *κατασκοπειν* Paulus adhibet Gal. 2, 4. — *Παρεμβολης* vocabulum, quod reperis commate 34. et 13, 11., praeter hos locos non nisi apud Lucam in scribendo nostro simillimum legitur Act. 21, 34. et Iohannem Apoc. 20, 9. Vocabulum ipsum est Alexandrinis interpretibus perquam amatum simulque Philoni [49]. *Τυμπανιζειν*, *flagellis caedere plumbeatis*, commate 35., vocabulis N. T. inusitatissimis est adscribendum, illustraturque a Carpzovio et Krebsio ad h. l. Eius loco evangelistae *μαστιγουν* habent; Paulus utitur vocabulis *πληγας λαμβανειν* et *ραβδιζεσθαι*, v. c. 2 Cor. 11, 23. 24. 25.— *Καταγωνιζεσθαι* vocabulo unice in N. T. hoc loco, commate nempe 33., obvio Philo, qui eodem modo, quo epistolae auctor vocabula composita amat, utitur, ut docet Carpzov ad h. l. — *Μηλωτη* commate 37., *vestis pellibus ovinis confecta*, est vocabulum N. T. *ἁπαξ λεγομενον*. *Προβατου δερμα* Philo habet in libro *de Caino*. *Ἐνδυμα εκ προβατων* est apud Matthaeum 7, 15. — *Δερμα* commate 37. unico hoc N. T. loco legitur. Apud interpretes Alexandrinos *de vilissimo prophetarum amictu* est Zachar. 13, 4. Idem vocabulum Philo amat in libro *de Caino*. *Δερματινος* occurrit apud Matthaeum 3, 4. — *Προβλεπειν* commate 40., cuius

49) Cfr. de hoc vocabulo Sturz *de dial. Maced. et Alexandrina* pag. 30. Apud Plutarchum est in *vita Caesaris* 43. *Galbae* 27.

loco Paulus scribit προνοειν, προορᾳν, v. c. 1 Tim. 5, 8. unico hoc N. T. loco reperitur, estque apud LXX *interpretes*. Ps. 36, 13.

§. 27.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. XII.

Nec minus caput huius epistolae duodecimum est stipatum vocabulis singularibus iisdemque e scribendi indole longe alia, quam qua utuntur caeteri apostoli, desumtis. Merito huc referenda est prae caeteris omnibus commate 1. connectendi formula unice hoc loco lecta, τοιγαρουν, qua vertunt Alexandrini hebraicum עַל־כֵּן et גַּם, v. c. Iob. 22, 10, 7, 11. Similis quodammodo connectendi formula obvia est 13, 13. τοινυν, quae singularibus ideo est annumeranda, quod in fronte periodi lecta non nisi isto epistolae loco atque apud Philonem saepius, v. c. in libro *de Agric.* pag. 204., occurrit. Formula τοιγαρουν 1 Thess. 4, 8. lecta, ut Critices studiosi agnoscunt, valde est suspecta utiturque Paulus coniungendi vocabulis ουν vel διοτι, v. c. Eph. 4, 1. 1 Cor. 8, 4. Rom. 1, 19. Gal. 2, 16. — *Νεφος* vocabulum eodem commate occurrens, Latinorumque *nubi* respondens (nubes testium), in N. T. minime praeter hunc locum recurrit, sed νεφελης potius vocabulum his N. T. libris de nubibus solemne est, v. c. 1 Cor. 10, 1. Alexandrinorum in hoc vocabulo dicendi consuetudinem vides v. c. Prov. 3, 20. et apud Philonem v. c. in *legatione ad Caium* p. 1015. Adhibet quidem Philo istud vocabulum simillima ratione *de multitudine*, habetque v. c. ἀκριδων νεφος, Ιουδαιων νεφος. Paulus multitudinem expressurus amat πληθος vel πολυς, v. c. Rom. 8, 29. — Ἀφορᾳν, quod commate secundo legitur, metaphora desumta a cursoribus,

qui currendo metam solent intueri, simillimo modo legitur Act. 2, 25. 21, 29., a Paulo tamen non usurpatur, sed potius ἐμπροσθεν ἐπεκτεινειν Phil. 3, 14. Est apud Diod. Sic. 19, 23 et Arrianum *Diss. Epict.* 4, 1. — Ἀναλογιζεσθαι, quod reperitur commate 2., est N. T. ἁπαξ λεγομενον, apud Philonem saepius obvium; λογιζεσθαι Paulus habet Rom. 3, 28. 2 Cor. 10, 11. Iacobus ὁρᾳν 2, 24. — Καμνειν despondere, quod vides commate 3., legitur Act. 2, 2. et significatione alia Iac. 5, 17. et apud Philonem in *migr. Abrahami* p. 410. Apud Paulum obvium est ἐκκαμνειν Eph. 3, 13. 2 Cor. 4, 16. — Ἀντικαθιστεναι commate 4., quod explicatur addita formula προς την ἁμαρτιαν ἀνταγωνιζεσθαι, praeter hunc locum in N. T. plane non auditur, gaudetque significatione: *in religionis confessione esse constantissimum.* Ἀνθιστανει Paulus amat Rom. 9, 19. Gal. 2, 11. — Ἐκλανθανειν de summa in religione constantia, quod praeter epistolae nostrae comm. 5. in N. T. non auditur, est apud *Aeschin. Dial. III*, 16. et apud Symmachum Ps. 12, 2. — Τῳ ὀλιγωρειν, vocabulo (comm. 5.) N. T. ἁπαξ λεγομενῳ, substituit Paulus καταφρονειν 1 Cor. 11, 22. 1 Tim. 4, 12. Rom. 2, 4.; a Philone etiam aliquoties usurpatur. — Νοθον vocabulum commate 8. Graecis solemne est de eo, qui peregrino patre natus est. Luculenter tamen hoc loco oppositum est filio legitimae nativitatis. Νοθευειν comm. 8., de adulterio adhibitum legitur 3 Macc. 3, 17. Ἐκ πορνειας γεννηθηναι est Ioh. 8, 41. Caeterum interpretes ad unum omnes, quos vidi, silent h. l. de ritu populorum, qui filios legitimos tangente manu (διὰ παιδειας) pro legitimis declarabant. At vero, nisi haec sumseris nostro loco, ipsius explicatio maxime manca est et ridicula, quod Carpzovii in hoc commate explicando conamina satis docent. — Παριεναι, quod habes commate 12., vo-

cabulis ἅπαξ λεγομενοις N. T. merito est adscribendum. Alexandrini tamen idem adhibent Zeph. 3, 16. Ier. 20, 9. — Τροχια commate 13. de vestigiis impressis usurpatum, quae quis sequatur, non nisi hoc loco auditur. Ὀρθας τροχιας Alexandrini habent Prov. 4, 26. — Ὀρθος commate 13. ex usu Alexandrinorum iam laudato est praeter locum nostrum Act. 14, 10. Τροχιας ορθας Philo εὐθειαν ὁδον και μεσην ὁδον vocat in libro *de migrat. Abrah.* p. 410. — Ενοχλειν commate 15. merito vocabulorum exquisitiorum numero adscribendum explicandumque de iis, qui se Christianorum coetui admiscent, quamvis non digni censendi sint, qui huic adscribantur, saepissime auditur ap. interpretes Alexandrinos; v. c. 1 Sam. 19, 14. Paulus 1 Cor. 5, 6 sequ. de eadem exponens re verba adhibet longe alia. — Πρωτοτοκιας vocabulum unice occurrens commate huius epistolae 16. usitatum est Philoni, ut in libro *de sacrificiis p.* 133. atque saepius Alexandrinis interpretibus. — Pro μετεπειτα, quod obvium est non nisi commate 16., Paulo solemne est ἐπειτα v. c. 1 Cor. 11, 18. — Ψηλαφαν commate 18. Paulo inauditum legitur in N. T. adhuc Luc. 24, 39. atque 1 Ioh. 1, 1. Cfr. de hoc vocabulo Eustathius ad Homerum Il. ζ. 80. etiam Schulz. in *Commentario* p. 250.; montem fumantem Schöttgen vertit. — Vocabulis huius capitis peculiaribus annumeranda merito sunt γνοφος commate 18. et διαστελλειν commate 20. itidem e scribendi usu Alexandrinorum desumta. Pro διαστελλειν Paulus habet διατασσειν, v. c. Gal. 3, 19. — Φαντασια, unde originem habet φανταζεσθαι commate 20., est apud Philonem in libro *quod Deus est immut.* pag. 299., caeterum N. T. ἅπαξ λεγομενοις adscribendum. — Ἐντρομος et ἐκφοβος aliquoties in N. T. neque tamen apud Pau-

lum occurrunt. — *Πανηγυρις* a conventibus civitatum Graecarum desumtum, est tabula, cui victorum nomina laudesque inscribebantur, transferturque commate 23. ad res Christianorum, quorum nomina veluti tabulae coelesti essent inscripta. De usu loquendi conferatur Ael. *V. H.* 9, 5. et 34. — *Σειειν*, quod reperis comm. 26., legis quoque Matth. 21, 10. 27, 51. 28, 4. Apoc. 6, 23. et apud Xenophontem *Histor. Gr.* 4, 7, 4. — *Ασαλευτος* commate 28. praeter hunc locum non nisi Act. 27., 41, *καταναλισκειν* vero plane non in N. T. legitur. Prius vocabulum est apud Philonem in libro *de aetern. mundi* p. 959. et posterius in libro *de vita Abrahami* p. 369.

§. 28.

Vocabula ἁπαξ λεγομενα cap. XIII.

A capite inde XIII. clarius se dimittit orationis apostolicae flumen, et in his ripis ambulaturus, si exceperis commata 10. 11. 12. et 13. vix eundem epistolae auctorem repereris. Quodsi verba huius capitis, ipsa faciliora, examinaverimus, manifestum esse videtur, eundem, qui sit epistolae auctor, eundem etiam in hoc capite esse agnoscendum, sublimiorisque Critices sacrae, quod dicunt, studium frustra laborare in hoc capite abscindendo. Sed est tantum hoc loco de vocabulis huius capitis peculiaribus sermo, quae breviter adhuc sunt tangenda atque notanda. *Βοηθειας* vocabulum, uti supra vidimus, vocabulis singularibus merito erat adscribendum, nec minus *βοηθος*, quod est huius capitis commate 6. — Actum iam est §. 8. 10. de peculiari doctorum in ecclesia Hebraeorum indole estque denominatio etiam his doctoribus data in hoc capite, *ἡγουμενων* scilicet, plane singularis, ut rectissime

indicat Schulz, qui tamen, ut infra videbimus, significationem plane novam nec usu probatam in hoc vocabulo reperisse sibi videtur, nec comparare voluit Act. 15, 22. — Ἀναθεωρεῖν commate 8. lectum, est vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, si epistolas Paulinas respexeris, atque non auditur nisi Act. 17, 23. — Εὐποιΐας vocabulum, quo exprimitur commate 16. beneficiorum collocandorum ardor, non nisi hoc N. T. loco obvium est. Philo de liberalitate exponens habet vocabula χαρίζεσθαι et κοινωνίας, v. c. in libro *de iudice* p. 721. Ἐλεημοσύνην Lucas amat 11, 41. 12, 33. Act. 3, 2. aliisque in locis, Paulus ἀγαθοεργεῖν 1 Tim. 6, 18. ἀγαθὸς 1 Thess. 5, 15. ἀγαθωσύνην Eph. 5, 9. et εὐεργασίαν 1 Tim. 6, 2., nec unquam tamen vocabula εὐποιεῖν et εὐποιΐαν. — Ἀλυσιτελὴς commate 17., quod Hesychius explicat per ἀσύμφερον, ἀνωφελές, est vocabulum optime graecum, quod reperis apud Polybium 3, 117. in Theophrasti *Characteribus* VIII, 4. aliisque in locis. Paulus utitur vocabulo ἀνωφελὴς, v. c. Tit. 3, 9. — Omissa sunt, ut video, a me quaedam huius generis vocabula. Neque tamen diutius in ista re videtur esse haerendum.

§. 29.

Vocabula peculiari vi in epistola obvia.

Absoluta iam tractationis huius parte, qua evinceretur, esse in epistola ad Hebraeos perquam multa vocabula non solum a scribendi N. T. consuetudine, Paulina inprimis, prorsus aliena, sed sumta etiam e scribendi genere longe alio, quam quod amaverit Paulus, Alexandrino nempe, in censum vocanda erunt alia quaedam, quae non minus epistolae auctorem suadeant singularem atque a Paulo inprimis magnopere diversum. Maximi

nempe ponderis res erit, si missis iis, quae hucusque tractata sunt, ostensum fuerit, obviam fieri in ista epistola vocabula, quae vim potestatemque habeant maxime singularem usuique dicendi inprimis certae cuiusdam gentis addictam. Est etiam in epistola ad Hebraeos eiusmodi vocabulorum larga messis atque paulo maior etiam, quam si Philonem et Josephum in scribendi indole inter se volueris conferre. Rem tentaturus gravissimam insistam exemplis tantum quibusdam, plura huius generis aliorum diligentiae peculiari relicturus. Neque negaverim, *πιστεως* vocabulum in hac vocabulorum classe mihi esse gravissimum.

§. 30.

Peculiarior significatio formulae: υἱος του Θεου.

Latissime patet, uti est notissimum, Hebraici vocabuli בן et graeci *υιος* in libris sacris usus, atque ista vocabula *quemvis rei ortum et quamvis rerum quarundam cum aliis coniunctionem indicant.* Ὑιου vocabulum translatum ad homines nunc *cuiusdam filios, nunc alios ab ipso ortum trahentes* notat. Retinebantur hae significationes, cum Iudaei amarent formulas בני יהוה et *υἱους του Θεου.* Intelligebant sub his formulis nunc *arctiori* nunc *minus arcto vinculo cum Deo coniunctos.* Insigniebant Iudaei hinc ista scribendi formula hos inprimis, qui *summam* veluti *iurium divinorum nacti erant provinciam,* eademque insigniebant praecipue *Messiam, quem expectabant cum Deo omnium maxime coniunctum.* Addebant etiam huic Messiae denominationi appellationem *υιοῦ ἀνθρωπου* h. e. *antesignani totius generis humani, Iudaici inprimis.* Repererant Iesus et apostoli hanc

dicendi consuetudinem, eaque ipsi utebantur, *mollita* indies magis magisque *Messiae notione* receptá. In obvia igitur hac Iesum insigniendi apud apostolos formula cogitandum est *de Messiae denominatione*, sed perpendendum tamen inprimis, utrum hic vel ille apostolorum cogitet *de Messia in genere*, neglecta veluti origine eiusdem divina, an ista *Messiae cum Deo coniunctio* ipsius oculis praecipue obversetur[50]). Legentibus nobis apud Lucam capite 22. sententiam, quam synedrium Iudaeorum de Iesu tulerit, reperimus commate 70. quaestionem Iesu propositam: *συ εἰ ὁ υἱος Θεου*; ubi luculentissime iam per se patet, synedrium in his verbis non de indole Iesu insigniori, sed de eo tantum in genere cogitasse, num se habeat ipsum pro Messia. Repetunt in his verbis quaestionem commatis 67., atque responsio Iesu, quae continetur commate 70., simillima est responsioni commatis 69., ubi Messiae fit mentio, adhibita formula: *υἱος ανθρωπου*, — estque etiam conferendus capitis 23. versus secundus, ubi, qui se declaraverat *υιον του Θεου*, vocatur *Χριστος βασιλευς*. In hoc igitur loco non de Messiae cum Deo peculiari coniunctione profecto, sed de Messia in genere est cogitandum. Eodem modo non tam de Messiae indole sublimiori, quam *de Messia in genere* cogitandum est in loco Matth. 27, 40. ubi verba *υἱος του Θεου* luculenter explicantur Luc. 23, 35. per verba: *Χριστος βασιλευς*. In epistola tamen ad Hebraeos *notio* inprimis *di-*

50) Alia in hoc vocabulo explicando via incesserunt Koppe in *Excursu* II. in *epistolam ad Gal.* Ammon in der *biblischen Theologie* 2. B. S. 185 sq.; Ilgen in *commentatione de notione tituli filii Dei in libris sacris tributi*, in Paulus *Memorabilien* 7. Stück pag. 119 sequ. Sed interpretatio tamen iam in medium vocata veritati magis accedere de meo iudicio videtur.

gnitatis Iesu sublimioris, nec Messiae in genere praevalere videtur. Etenim qui vocatur *υἱος Θεου*, describitur additis verbis: *ὁν ἐθηκε κληρονομον παντων, δἰ οὑ και τους αἰωνας ἐποιησεν, ὁς ὠν το ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποστασεως αὐτου, φερὼν τα παντα τῳ ῥηματι της δυναμεως αὐτου.* Auctor igitur ipse explicationem addit, ex qua satis mens ipsius possit intelligi. Describitur hic *υἱος του Θεου* porro c. 1, 6. tanquam *πρωτοτοκος, ὁν Θεος εἰσηγαγεν εἰς την οἰκουμενην*. Designatur hic *υἱος του Θεου* commate huius capitis quarto tamquam is, qui nominis excellentia prior sit angelis, quique stipatus sit angelorum servitio. Cfr. cap. 2, 7. Occupatissimus hinc auctor est 5, 8. 9. in exponendis causis, cur exuerit hic *υἱος του Θεου* dignitatem divinam, describiturque 3, 6. tanquam is, qui iure suo ad sedes paternas redire potuerit. Sed relictis ipsius epistolae explicationibus habemus in his omnibus Philonem simillimo modo de hoc *υἱῳ Θεου* cogitantem, et praeterea in describendo pontifice Iudaeorum summo iisdem formulis utentem. Sequebatur in his descriptionibus Platonem, qui virtutes divinas distincturus de iisque tanquam de Diis locuturus ipsi dederat occasionem, simili modo loquendi; hinc Philo occupatissimus est in docendo, et Messiam et sacerdotem Iudaeorum summum non philosophorum risui exponi posse, cum ipsi hi philosophi de *θεληματι Θεου* seu de *λογῳ* tanquam de *υἱῳ του Θεου* loquantur. Ipsi vero auctori persuasum est, tactis his sententiis, quae Iudaeis Alexandrinis maxime arridebant, multum effici posse in commendanda Iesu dignitate summa, habebatque insuper causas adhuc maxime peculiares, cur ad maiorem hanc Iesu dignitatem provocet, quippe haec descriptio indicet causas, quibus excusata esset

legis Mosaicae abolitio. Cfr. §. 10. [51]). Ex his omnibus doceri posse videtur, auctorem in usurpandis verbis *υἱον του Θεου* cogitare quidem *de Messia*, sed *maxime* tamen *de indole ipsius divina*, quae peculiari saepe ratione in hac dicendi formula respiciatur, cum in aliis locis N. T. *υἱον τ. Θεου* appellatio non tam huius dignitatis praecipuae, quam dignitatis Messiae in genere iniiciat mentionem.

§. 31.

Κληρονομον cap. 1, 2. *peculiarior significatio.*

Auctor epistolae ostensurus maiorem Iesu dignitatem, qua sit talis, qui possit abrogare legem Mosaicam sitque auctor novae constitutionis seu novus *μεσιτης* merito dicendus, eum, uti vidimus, nominaverat *υἱον του Θεου*, qui e mente Alexandrinorum Platonicos philosophos sequentium ex ipso Deo emanaverat atque cum ipso erat coniunctissimus, quemque *λογον* praeterea vocabant. Sequitur huius *υἱον του Θεου* descriptio commate 2. et 3. In *κληρονομον* vocabulo explicando optime profecto egisse videris, si Alexandrinorum et in dicendo consuetudinem et in describendo *λογῳ* sententias sedulo respexeris atque usum scholarum in vocabulis usurpatis repereris. Neque tamen hoc

51) Cfr. Ziegler in der *Einleitung zum Briefe an die Hebräer* p. 273. Eberhard *über den Geist des Urchristenthums* 3. Th. — *eine Abhandlung über den göttlichen Verstand aus der Platonischen Philosophie* in Paulus *Memorabilien* 1. St. S. 24 sequ. etiam Bertholdt in *Christologia Iudaeorum Iesu apostolorumque aetate* pag. 104 seq. De λογῳ Philonis videatur etiam Carpzov in *Introduct. ad Exerc.* S. CVII sequ. De sacerdote Iudaeorum summo, qui etiam a Philone *υἱος του Θεου* praedicatur, conferatur idem Carpzov in *Exerc.* ad cap. 7, 3.

suadendum quam docendum potius est e linguae usu, Alexandrinorum inprimis. *Κληρονομου* vocabulum saepius in N. T. libris legitur, inhaeretque, ut videtur, ipsi haereditatis aliqua notio vel notio hominis, *qui in bonis ipsi impertiendis gaudeat iure aliquo*, usu loquendi desumto a modo, quo terra Canaanitica Iudaeis erat distributa. Hinc *κληρονομειν* Gal. 4, 30. est *haereditario iure accipere*, contra cap. 5, 21. *accipere bona, quorum habeas aliquod ius.* Hinc etiam *κληρονομια haereditatem* designat Matth. 21, 38, *quaevis* vero *bona* Eph. 1, 14. Nec dubitandum est, in epistola quoque ad Hebraeos eundem dicendi usum esse recipiendum in *κληρονομειν* 1, 4. 14. 6, 12. 12, 17. in *κληρονομια* 9, 15. et in *κληρονομος* 11, 7. Alia tamen huic vocabulo inesse videtur vis, ubi de Iesu *υἱῳ του Θεου* usurpetur epistolae nostrae cap. 1, 2., quam tamen Schulz e loquendi consuetudine Alexandrinorum repetere noluit. Loquitur nempe Philo in libro *de plantat. Noe* pag. 221. de *κληρου* vocabulo, quod sit in rebus divinis alio plane sensu accipiendum, quam in rebus humanis additque: *κληροδοτειν μεν Θεον ἀναγκαιον, κληρονομειν δε* (scilicet more humano explicatum) *ἰσως οὐκ εὐλογον, παντων αὐτου κτηματων ὀντων. Κληρου* igitur vocabulum de Deo usurpatum de ipsius *dominio* explicandum esse suadet. Addit Mosem cum Deo coniunctissimum eo procedere audaciae, ut de dominio ipsius locuturus usurpet vocabula *κληρου* et *κληρονομειν.* In rebus vero etiam humanis *κληρονομιας* vocabulum usurpari de dominio vides 2 Sam. 20, 2. deducitque hinc Voss. in *Etym.* sub vocabulo: *haeres* hanc significationem ex Hebr. ירש. Cfr. Deut. 2, 24. 31. 19, 14. 31, 1. Loquitur hinc, quantum video, Siracides 22, 24, de eo, qui dum amici *ἐν καιρῳ θλιψεως* dominium rerum conservet, do-

minii fructus possit percipere: ἵνα την κληρονομιαν αὐτου συγκληρονομησῃς. Synonymiter huic apud eundem Siracidem 24, 11. ἀναπαυσις et κληρονομια poni videntur. Conf. insuper Aelianus *V. H.* 6, 1. 12, 61. Euripides in *Phoeniss.* Herodotus 1, 76. atque 4, 165, Plato *de leg.* 8. p. 401. et 2 Maccab. 20, 21. Insuper Philo in libro *de Sept.* 1187. et 1189. explicat κληρουχιας per τα ἰδια κτηματα h. e. praedia. Sermo igitur est hoc loco de υἱῳ του Θεου, cui Deus cesserit *dominium* in mundo summum [52]). Vocabulum παντων de mundo universo recte explicari, docet idem Philo creberrimo huius vocabuli usu, v. c. in libro: *quis rer. div. her.* p. 486., ubi usurpat vocabula de mundo universo haec: παντα et συμπαντα. Additur insuper ab epistolae auctore ipso huius dominii, quod cesserit Deus υἱῳ αὐτου, uberior descriptio, quae docet, istam κληρονομον explicationem fuisse rite institutam, in verbis: δι᾽ οὑ και αἰωνας ἐποιησεν atque in verbis: φερων τα παντα. Eodem plane modo, ut video, κληρονομον vocabulum explicarunt Peirce in *paraphrasi epistolae ad Hebraeos*, Michaelis *in notis ad hanc paraphrasin*, atque Carpzov ad hunc epistolae nostrae locum. Opinionibus profecto conceptis deducti ecclesiae Christianae principatum intelligunt Semler, Eckermann, Stolz aliique plures. Sententias Philonis de dominio λογου ipsiusque inprimis in mundo exstruendo auctoritate summa vides v. c. in libro *de aedificio mundi* pag. 4. 7. et *de monarch.* pag. 819. Plura reperis etiam apud Grotium ad hunc locum. Verba Philonis notatu digna inprimis haec sunt: λογον τα παντα διακοσμησαντα.

52) Succedendi iura esse observanda recte vidit Ammon *in der Christologie* 1. Bd. pag. 235.

§. 32.

Peculiarior significatio vocabulorum ὑποστασεως et των αἰωνων.

Auctor *ὑιον του Θεου* ulterius utpote Dei in dominio divino successorem definiturus utitur verbis: *δι' οὑ αἰωνας ἐποιησεν*, et: *ὁς ἐστι χαρακτηρ της ὑποστασεως αὐτου*, in quibus vocabulis explicandis divinando saepe versati sunt theologi atque N. T. interpretes. *Χαρακτηρος* vocabulum ipsum supra est explicatum, atque mentio simul facta vocabuli *ἀπαυγασματος* rite ex usu loquendi Alexandrinorum definiendi. *Ὑποστασεως* vero vocabulum peculiari profecto loquendi usu, nec Paulina dicendi consuetudine, est sumendum, qua Paulina consuetudine est *certior aliqua fiducia*, v. c. 2 Cor. 9, 4. 11, 17. Verbis enim *χαρακτηρ της ὑποστασεως* ab auctore ipso hac in re progrediente addita est explicatio haec: *ὁς φερων τα παντα τῳ ῥηματι της δυναμεως αὐτου*, videmusque hinc, *το φερειν τα παντα* esse *ὑποστασεως* indolem aliquam et his verbis exponi de *λογου* virtute peculiari, qua credebatur esse dominii divini successor ideo, quod sit *των παντων ὑποστατης*, h. e. totius mundi conservator. Maxime igitur miror Schulzium, qui noluerit in his verbis vertendis comparare atque excitare Philonis locos in *λογῳ* describendo simillimos. *Ὑποστασεως* nempe significatio, qua *rei fundamentum reique duraturam indolem* indicat, est apud Diodorum Siculum 13. pag. 203. ubi verba sunt: *μεγεθος ὑποστασεως* h. e. fundamentum firmissimum. Eodem modo occurrit apud *interpretes Alexandrinos*, v. c. Ezech. 43, 11. Ps. 79, 2. Philo etiam saepius sic usurpat vocabula *ὑποστηναι* et *ὑποστασεως* mundumque dicit *ὑποστηναι* atque mundum non habere *ὑποστασιν καθ' ἑαυτην*, h. e. non per se fundamentum vel

durationis indolem. Cfr. liber *de corruptione mundi* p. 942 et 954. De supremi numinis ἐνεργεια simili, quae sit λογῳ προφορικῳ inclusa atque gaudeat veluti substantia aliqua, multa habet Plato, v. c. in *Dial. contra Tryph.* p. 181. [53]) Sub ὑποστασει *naturam* intelligit Noesselt *Opusc.* p. 150. Plerique, ut est notissimum, cum Carpzovio de essentia explicant. Nec video aliam ὑποστασεως vim in reliquis nostrae epistolae locis, in quibus hoc vocabulum obvium est. Etenim ἀρχη ὑποστάσεως cap. 3, 14. indicat *prima religionis fundamenta*. Hebr. 11, 1. sunt, quantum video, verba: ἐστι δε πιστις των ἐλπιζομενων ὑποστασις ita explicanda: *fides est omnium, quae speramus, fundamentum.* — In eadem υἱου του Θεοῦ mundi opificis descriptione adest c. 1, 2. et 11, 3. ubi του ῥηματος appellatio occurrit, των αἰωνων vocabulum [54]). Multa quidem, sed pro more suo magis ingeniose quam vere, de αἰωνων vocabulo rite explicando protulit Paulus l. in not. c., provocatque, imprimis ad significationem huius vocabuli ab eiusdem sensu rite secernendam, intelligitque *temporum vicissitudines aevo Messiano exortas.* Sed videndum tamen erit, quam dicendi consuetudinem Alexandrini inprimis in hac re sequantur. Luculentissime nostro in loco των αἰωνων vocabulum est synonymum antecedenti των παντων vocabulo. Philo quidem, de creatione mundi per λόγον exponens, saepissime

---

53) Cfr. Tennemann *über den göttlichen Verstand aus der Platonischen Philosophie* in Paulus *Memorab.* Fasc. 1. pag. 34 sequ. atque *in der Geschichte der Philosophie* Bd. II. pag. 394 sequ.

54) Plura de hoc vocabulo formulisque exinde ortis habet Koppe *Exc. I. Epistolae ad Ephesios*, et *Paulus in den Memorab.* 7, 118 sequ.

habet verba: *τα ὁλα ἠλθεν δι᾽ αὐτου εἰς γενεσιν*, v. c. in libro *de profug*. p. 466. Habet etiam in libro *de monarch*. p. 819. verba haec: *λογος ἐστιν εἰκων του Θεου, δι᾽ οὑ συμπας ὁ κοσμος ἐδημιουργειτο*, vocatque hinc *λογον ὀργανον Θεου*, simillimo fere modo, quo Hebr. 11, 3. Sed quod in his locis exprimit per *κοσμον* et *τα ὁλα*, et quod aliis in locis exprimit per *κοσμοποιειν* et *κοσμοπλαστειν*, in libro *de mundo* pag. 1137. per *του αἰωνων* vocabulum exprimit. Nec disputabo de eo, utrum sit haec vocabuli *αἰωνων* vis eiusdem sensus potius dicendus, quam significatio, respectu habito sententiae Iudaicae, ex qua tempora ante mundi initia plane non erant, sed mundo exstructo proferebantur veluti et exstruebantur. Profecto iste *των αἰωνων* vel sensus vel significatio alibi in N. T. non reperitur, nec in ea re excitandus esse videtur locus 1 Tim. 1, 17. Alia profecto ratione hoc vocabulum vertendum esse videtur cap. 6, 5. ubi legitur *αἰων μελλων*. Explicandi vim aliquam habent in isto loco vocabula *δωρεα του ἐπουρανιου, πνευμα ἁγιον* et *ῥημα Θεου*, atque videtur elucere, verbis: *δυναμεις του μελλοντος αἰωνος* intelligendam esse *doctrinam evangelii excellentissimam et vere coelestem.* Nec tamen facile discerni poterit, utrum verbis *μελλων αἰων* respiciat significationem aevi Messiani per se, an potius proxime plane synonyma sint *του ἐπουρανιου* reique imago, qua religionis excellentia describatur, petita sit a maiori felicitate in coelis expectanda. Hoc quidem lubentissime concedetur Koppio, Iudaeos distinxisse duplex genus *αἰωνων*, nempe *αἰωνα τουτον*, quo Iudaei ante Messiae adventum vivebant, et *αἰωνα μελλοντα*, qui tempore Messiae expectabatur. Philo non nisi habet *δυναμεις ἀληθινης ζωης* in libro *de Alleg*. pag. 46.; quod attinet Paulum in ipsius epistolis vocabulo *του αἰωνος* diuturnitatis notio

inesse videtur. Exponit quidem idem quoque apostolus περι αἰῶνος μέλλοντος et τουτου, ut 1 Cor. 13, 18. Eph. 1, 21. Tit. 2, 12. sed si diuturnitatis notionem exceperis, difficile dictu est, quae his vocabulis sibi velit, et ad quae alludat.

§. 33.

Peculiarior vis vocabuli πιστεως.

Transit iam libellus hic ad πιστεως, quae inesse videtur epistolae ad Hebraeos, significationem plane peculiarem, cui rite examinandae vires meas iam impendam a partium studio quam alienissimus. Formanda quidem est in significationibus vocabulorum indicandis notio quaedam primaria, e qua et significationes specialiores possint deduci, et cui additus sit vocabulorum sensus, orationis serie ortus. Sed tenendum tamen est, significationes verborum multas originem traxisse ab infima saepe plebe, quae dicendi leges sibi non scripserit atque ad vocabulorum usum diversissimis ducta sit causis. Notandum etiam esse videtur, signationum causas esse tam varias, ut difficillima sit vocabulorum significatio palmaris indicatu. Cavendum inprimis est, ne de vocabulorum significatione primaria cogitantes sententiis praeiudicatis et systematis cuiusdam amore abripiamur. Sed nisi ipse in hac re fallor, πιστεως et fidei appellatione utebantur homines ab antiquissimis inde temporibus in omni re, quam non ipsi viderant et cuius indolem non penitus animae viribus penetraverant, quam tamen pro vera atque merito amanda habebant, estque fides *generalissimo sensu* sumta *veri agnoscendi* et *amandi proclivitas.* Ad *res religionis* transit haec *veri agnoscendi amandique proclivitas.* Veras igitur homines has vel illas res religionis habebant

iisque quoddam praestabant obsequium, alias reiiciebant vel levior certe ipsorum in animis earum erat vis. Transeuntibus nobis hinc ad *πιστεως*, *quae sunt in N. T.*, *significationes*, ortas quidem easdem reperimus e notione illa fidei religiosae generaliori, sed magnopere tamen mixtas additamentis inde inprimis profectis, quod apostoli in religionis novae initiis ponendis non habebant, quibus uterentur, vocabula, lubentissimeque vocabula quaedam usu recepta excipiebant, iisque, in disputandi inprimis indole peculiari, novas significationes novumque certe sensum addebant. Neque superfluum esse videtur, his rite praemissis ad *πιστεως* in epistolis N. T. usum transire eumque tuto examinare.

Quod quidem attinet *ad Hebraeorum epistolam* 55), vidimus hucusque, *dicendi* in ea *consuetudinem* plane *Alexandrinam* esse; estque profecto et in hoc vocabulo *dictionis Alexandrinae ratio* prae caeteris omnibus *habenda*. Utuntur et libri *V. T. apocryphi* et Philo inprimis saepius vocabulis: *πιστις*, *πίστος* et *πιστευειν*. Reperis Siracid. 2, 6. *πιστευσον Θεῳ*. Apertum vero est, apud ipsum quam maxime respici non tam veri in rebus religionis agnoscendi, quam eius *amandi* potius *proclivitatem*. Additur enim posteriori membro *ευϑυνον τας ὁδους αὐτου*. Apud eundem Siracid. 1, 33. de *πιστει* est sermo, sed, ut orationis docet series, de *πίστει*, cui insit et *σοφια* et *παιδεια*, et quacum coniuncta sit arctissime *εὐδοκια και πρᾳοτης*. Sirac. 11, 12. verba sunt: *πιστις εἰς αἰωνα στήσεται*, estque *πιστις* reverentia erga Deum virtutis studio conspi-

55) Video, cum haec omnia proprio marte a me essent peracta, Schulzium etiam peculiarem πιστεως in epistola ad Hebraeos usum tetigisse. Conferre igitur hac in re velint iudices a me ipsoque hac de causa tractata.

cua atque a vitiorum studio alienissima. Philonem qui adierit, sequentia reperiet. *Πιστος* Philoni est synonymum *του βεβαιου*, estque in libro: *quis rerum div. her.* ὁ *Θεος προς την ἀληθειαν μονον πιστος*, Deus, *qui non fluctuet in promittendo.* Dicitur in libro 3. *alleg.* p. 98. *Θεος πιστος* et additur, qui sint Dei amici, eos, exemplo edoctos, esse debere *πιστους ἐν οἰκῳ Θεου*, h. e. *officii rationem strenue et constanter sequentes.* *Το πιστευειν* vero adhibet in libro: *quis rer. div. her.* p. 493. de eo, qui *fiduciam* in Deo positam strenue *retineat*. *Πιστιν τελειοτατην ἀρετην* vocat in libro: quis *rerum div. her.* p. 493. Eandem describit in libro *de confus. lingu.* p. 304. tanquam *ὀχυρωτατην και βεβαιοτατην διαθεσιν*, et *in vita Mosis* p. 387. tanquam *βασιλιδα των ἀρετων.* Inprimis vero ad fidem refert in libro *de praemiis et poenis* *το ὑπερειδεσθαι* et *το στηριζεσθαι.* Videmus ex his omnibus, libris V. T. apocryphis inprimis *πιστεως* notionem inesse hanc: in *Deum reverentia summa*, apud Philonem vero: *tenax atque audax adeo perseverantia.* Factum hinc est, ut epistolae ad Hebraeos auctor, *πιστιν ad res transferens christianas*, in *πιστει* plerisque in locis cogitet de audacia, quae se ostendat in *religionis Christianae tenacissima confessione.* Sed videamus explicationes huius *πιστεως* ab auctore ipso suppeditatas, ne obtrudendo ipsi significationem aliquam iniuste egisse videamur. Minime multiplex, ut infra (§. 46.) videbimus, est epistolae nostrae argumentum, paraeneticum inprimis, ut synonymice et ex parte e contrario dicta, vel quae explicandi causa sunt addita, non possis non facillime agnoscere. Quae igitur auctor verbis ambiguis *πιστεως* et *του πιστευειν* exprimit, alias ita effert: *προσεχειν τοις ἀκουσθεισι εἰς το μη παραρρυειν*, cap. 2, 1; *αὐκ ἀμελειν σωτηριας, ἡτις ἀρχην λαβουσα λα-*

λεισθαι, 2, 3; παῤῥησιαν και το καυχημα της ἐλπιδος μεχρι τελους βεβαιαν κατεχειν, 3, 6; ἀρχην ὑποστασεως (fundamenta olim iacta) βεβαιαν κατεχειν, 3, 14; ἐνδεικνυσθαι σπουδην προς την πληροφοριαν της ἐλπιδος ἀχρι τελους, 6, 11; μακροθυμειν, 6, 14; κρατειν ὁμολογιας, 5, 14; κρατειν προκειμενης ἐλπιδος, 6, 19; κατεχειν ὁμολογιαν πιστεως, 10, 23; πολλην ἀθλησιν ὑπομενειν, 10, 32; ὑπομονη, 11, 36; ὑπομονη τρεχειν εἰς αἰωνα, 12, 1; ἀνταγωνιζεσθαι (sc. persecutionibus), 12, 4; παιδειαν ὑπομενειν, 12, 7; βεβαιουν καρδιαν, 13, 9; τα παραλελυμενα γονατα ἀνορθουν και τροχιας ὀρθας ποιειν τοις ποσιν, 12, 13. Quibus omnibus dicendi formulis quum insit notio *tenacitatis in religione, quae audacissime, persecutiones inprimis, sustineat*, videamus, num formulae oppositae eandem suadeant vim. Sunt nempe: ἀπιστια, 4, 6. 11; ἀποβαλλειν την παῤῥησιαν, 10, 35; ἀμελειν σωτηριας, 2, 3; καρδια πονηρα ἀπιστιας ἐν τῳ ἀποστηναι ἀπο του Θεου, 3, 12; καταλειπειν, 4, 1. (collato commate 3 sequ.); ὑστερειν ἀπο της χαριτος, 12, 15; καμνειν τας ψυχας ἐκλυομενον, 12, 3. Obieceris forte exempla capitis XI., quae in commendanda πιστει laudentur ab apostolo. Neque tamen obliviscaris, quae argumentetur apostolus ex Melchisedeci exemplo in eodem plane non reperiri, sed inesse argumentandi rationem Iudaicam. Cfr. §. 10. Et praeterea omnia haec exempla, quamvis sint a re Christianorum alienissima et ad πιστιν inprimis Christianis commendandam nequaquam spectent illamque hinc inde maculent adeo, sunt tamen audaciae cuiusdem documenta, lubentissime a Iudaeis audita et tenacitatis virtutem admodum illustrantia. Si volueris denique huic πιστεως explicationi obtrudere interpretationem apostoli ipsius, quae sit cap. 11, 1, provocan-

dum erit ad vim vocabuli ὑποστασεως supra a me suppeditatam. Cfr. §. 32.

Habet praeterea Paulus quoque πιστιν, quam gravissime commendet atque urgeat. Sed si omnia sedulo examinaveris, reperies quidem generalioris significationis aliquam speciem, sed πιστιν tamen toto coelo diversam a πιστει epistolae ad Hebraeos. In ipsius enim epistolis πιστις est magis ad religionem Iesu in genere, quam ad constantiam in eadem directa. Praeterea etiam sequi videtur Paulus in usu vocabuli πιστεως Hebraeorum dicendi usum in vocabulo אֱמֶת, quod indicat *omne, quod verum est*, quodque inprimis apud Judaeos in *religionis rebus veri nomen erat adeptum*, sc. תורה. Est profecto Hebraeis אמת *omne, quod verissimum esse solet*, v. c. Ps. 119, 86. 142. 151. 160., soletque synonymice usurpari cum vocabulis תורה, עדתים, חקה, דבר et דבר־אמת., cuius rei testis est Psalmus totus CXIX., inprimis commata 89. 105. 158. Adhibent igitur Hebraei etiam vocabulum אמת de *veri et sinceri amore*, in *religione inprimis*. Cfr. Gen. 24, 49. et 47, 29., in quibus locis LXX δικαιοσυνην habent. Sicuti vero Paulus νομον vocabulum usurpat *de religione Christiana*, v. c. Rom. 3, 27. 8, 2. inprimis Gal. 2, 19., sic etiam πιστεως vocabulo in rebus Christianorum utitur, sumitque πιστιν, h. e. *verum* in religione et *veri* in eadem amorem, vel additis vocabulis: εἰς Χριστον, vel saepius etiam omissis, *de vera religione Christiana*, et *religionis Christianae verissimae* amore. Ex creberrimo etiam vocabuli πιστεως apud Paulum usu (sensum dixeris), exortae sunt ipsi, ut ita dicam, significationes, e quibus πιστις est *religio Christiana* et, per se, vel addito εἰς Χριστον, *religionis Christianae amor*. Saepius tamen *sensum* vocabuli neglecturus ad *significationem* πιστεως redit, qua est

amor veri, in religione inprimis, v. c. Rom. 4, 3. Quodsi hanc *πιστεως* Paulinae originem negaveris, certum tamen esse videtur, istas esse apud ipsum *πιστεως* significationes. In ipsius epistolis *πιστεως* vocabulo inesse significationem *religionis Christianae*, quis negaverit? Occurrunt enim vocabula synonyma et formulae synonymae, *νομος πιστεως*, verissima religio, Rom. 3, 27; *νομος πνευματος*, religio, quae auctorem habet *το πνευμα*, Rom. 8, 2; *καινοτης πνευματος*, novissimum spiritus donum, Rom. 7, 6; *ἐλευθερια της δοξης*, religio a caerimoniarum molestiis remotior atque longe excellentior, Rom. 8, 21; *το εὐαγγελιον*, laetior Dei annunciatio, scilicet per Iesum facta, Rom. 1, 16. 10, 16; *ῥημα της πιστεως*, veritatis interpres, Rom. 16, 26; *λογος πιστεως*, institutio de vero, quod inest religioni christianae, 1 Tim. 4, 6; *του ἐυαγγελιου φωτισμος*, nova annunciatio, quae homines collustret, 2 Cor. 4, 4. Vides in re nova appellationes religionis Christianae ab apostolo inventas et a receptis quibusdam vocabulis exortas. Poscunt vero hanc *πιστεως* significationem, qua est religio Christiana, etiam quae ipsi opponuntur, v. c. *νομος* Rom. 3, 20. 9, 32; *νομος ἐργων*, religio caerimoniarum fautrix, Rom. 3, 27.; *ἐργα* et *ἐργα νομου*, quae non minus sunt apud Paulum religionis Mosaicae denominationes, Rom. 3, 20. 9, 32. Gal. 3, 8. [56]); *περιτομη* denique, h. e. religio quae circumcisione excipitur, Rom. 4, 12. Confirmatur quoque ista *πιστεως* significatio apud Paulum additis quibusdam formulis, v. c. *Χριστος ἐν ὑμιν* Rom. 8, 20., vel *ῥημα Θεου* Rom. 10, 16. Altera vero *πιστεως* apud Paulum significatio, qua

---

56) Fusius de his Iudaicae legis appellationibus exposui in *disp. de vi vocabulorum νομου et ἐργων in libellis maxime Paulinis.* Viteb. 1785. 4.

est *religionis Christianae verissimae amor*, non solum conspirat cum omnibus epistolarum ipsius locis, in quibus religionis Christianae significatio non admittitur, sed facillimo etiam modo e vocabulis synonymis et oppositis potest edoceri. Scilicet pro *πιστει*, Christianae religionis amore, reperis *πιστιν εἰς Χριστον*, veri amorem in Christo ostensum, v. c. Rom. 3, 22., inprimis vero *ἀγαπην εις τους ἀγιους*, Ephes. 1, 15. et *κοινωνιαν του εὐαγγελιου*, Phil. 1, 5. Explicatur etiam formulis *ἐπικαλειν το ὀνομα του Χριστου*, Rom. 10, 13. et *κυριῳ ζην*, Rom. 10, 16. Eandem ob causam coniunguntur apud apostolum *πιστις και ἀγαπη*, v. c. Eph. 3, 17. Col. 1, 4. 1 Thess. 1, 2. 2 Thess. 1, 8., ut vel exinde possis concludere ad vim huius vocabuli palmarem ap. Paulum, qua est *veri amor*.

Admodum vaga est *πιστεως* notio apud *Iacobum* apostolum, uti videmus in viris scribendo minus exercitatis. *Amoris in religionem Christianam* notio vocabulo inesse videtur cap. 1. commate 3. Capitis 1. commate 8. opponitur homini *διψυχῳ*. Tractat inprimis inde a 2, 14. *πιστιν* a Paulina plane separandam, cuius explicationem suppeditare ipse videtur cap. 1, 22. verbis *γενεσθαι ἀκροατην του λογου*. Agnosces enim intercisam scribendi seriem a cap. 1, 22. usque ad 2, 14., nec est, quod dubites, Iacobum scribere ad ecclesiam, in qua literae Paulinae male fuerint intellectae. Cap. 5, 15. est *εὐχη της πιστεως* sine dubio *εὐχη των πιστευοντων*.

Solemne denique est *Petro* apostolo *πιστεως* vocabulum, sed eadem tamen fere notione, qua legitur in epistola ad Hebraeos, cum *πιστις* apud ipsum opponatur agendi rationi eorum, qui religionem Christianam deserant. Saepissime tamen hanc significationem deserit, ut 1, 1. 21. 3, 10.

Sentio quidem, his diligentissime pertractatis difficultates quasdam, sed, ut fatear, multo minores, quam in aliorum explicationibus, remanere; et tenendum inprimis erit hoc, Paulum in sensu vocabuli plane novo redire ad eiusdem significationem hucusque obviam, eundemque etiam e Iudaeorum more in verborum vi magnopere vacillare, ubi inprimis ipsi argumentandi data fuerit occasio.

§. 34.

Peculiarior dicendi usus in vocabulis: ταξις, ἐργον, μακροθυμειν, πηλικος et οικος.

Vocabulorum, quae sunt in epistola ad Hebraeos, significationem saepius maxime peculiarem perlustrantibus offerunt se porro vocabula: ταξις, ἐργον, μακροθυμειν, πηλικος, et οἰκος. — Saepius auctor Iesum cum Melchisedeco comparaturus, adhibet vocabulum ταξεως, notandumque est consilium auctoris, quod, cum Iesus ex cap. 7. ἐκ της φυλης Ιουδας deduceret genus, alia sacerdotum classis ipsi eruenda erat ad vindicanda Iesu sacerdotii iura, alia quasi φυλη quaerenda. Nec video, cur plerique interpretes in definienda ταξεως vi (5, 6. 10. 6, 20. 7, 11. 17. 21.) ad vocabulum ὁμοιοτητος, quod legitur 7, 15., confugiant, atque exinde novam ταξεως significationem velint elicere. Ex eo enim profecto, quod dicatur Iesus Melchisedeco fuisse simillimus, nondum sequitur ταξεως significatio, qua denotet *similitudinem*. Atque accipi profecto poterit hoc vocabulum elegantiori Graeciae in scribendo consuetudine, qua *classem* indicat atque in re militari saepius occurrit. Sic legitur apud Aelianum *Var. Hist.* 14, 49., et de sacerdotum inprimis classe Luc. 1, 8; eodem-

que etiam modo apud Philonem est *ἱερεων ταξις* lib. 3. *de vita Mosis* p. 679. Longe aliam huius vocabuli significationem esse apud Paulum, doceri potest ex 1 Cor. 14, 40. Coloss. 2, 5. — Occurrit cap. 6, 10. *του ἐργου* vocabulum, quanquam non in significatione, in sensu tamen *beneficentiae*, ut docent verba addita: *ἀγαπης κοπος*, et *διακονειν τοις ἁγιοις*. Hoc quidem sensu nullibi apud Paulum occurrit, qui habet v. c. *ἀγαθοσυνην*, Rom. 15, 14; neque apud Petrum, qui amat *ἀγαθοποιΐαν* [57]. *Μακροθυμειν*, quod occurrit epistolae nostrae 6, 12., est apud Paulum: in *puniendo lenem esse, poenam differre*, v. c. 1 Cor. 13, 4. 1 Thess. 5, 14. Nostra epistola amat usum loquendi Alexandrinum, ex quo est: *patienter expectare.* Cfr. LXX interpretes ad Iob. 7, 16. et Iac. 5, 7. 8. — *Πηλικος* cap. 7, 4. significat: *quam insignis*, eodemque modo *Alexandrinis* adhibetur Zach. 2, 2. De rerum multitudine reperis apud Paulum, v. c. Gal. 6, 11. — *Οἰκου* vocabulum in epistola ad Hebraeos obvium, est, si sensum respexeris, de *tota gente* explicandum, 8, 8. 10. atque in eadem re auctor simillimus est Lucae, Act. 2, 36. 7, 42., ubi *οἰκος* ita usurpatum est ut sit *οἰκος Θεου*, uti legitur 3, 2. 10, 21. *Οἰκος* occurrit apud Paulum nunc de domo, Rom. 16, 5, nunc, peculiari sensu, *de re familiari*, 2 Tim. 3, 4.

§. 35.

Peculiarior usus in vocabulo ἐπισυναγωγης aliisque.

Est vocabulorum peculiari potestate in epistola ad Hebraeos obviorum magna adhuc copia. Sed

---

57) Cfr. Noesselt in *Opusc.* pag. 210.

satis erit, exempla tantum aliquot hac in re adhuc delibare. In *ἐπισυναγωγης* vocabulo, quod legitur 10, 25., Augustinus, Hieronymus aliique peculiarem emphasin quaerunt, quae quidem reperiri profecto non potest, si notaveris vocabulorum compositorum, qui epistolae auctori est, amorem plane peculiarem, cuius mox mentio fiet. Magnus etiam est interpretum dissensus in explicando *ἐπισυναγωγης* vel *συναγωγης* vocabulo, aliis hoc vocabulum *de Christianorum societate*, aliis *de conventibus eorum* adorandi causa factis (*συναξεις* Patres vocabant), aliis *de agapis* inprimis *Christianorum* interpretantibus [58]). Si orationis seriem consuluerimus, commata inprimis 23. et 26., ubi *ἁμαρτιας* vocabulum, ex dicendi consuetudine apostoli, defectionem Christianorum a religione luculenter indicat, magnam veri speciem prae se fert, si intelligas *christianorum coetum*. De coetu seu *collectione rerum* vocabulum *συναγωγης* legitur etiam apud Alexandrinos Iob. 8, 17. Ies. 19, 6. 38, 25., et *de congregatione hominum* apud Diogenem II. p. 129. Sic etiam ipsum *ἐπισυναγωγης* vocabulum habetur 2 Macc. 2, 7. et verbum *ἐπισυναγειν* apud LXX. *interpretes* Ies. 24, 12. 52, 12. aliisque in locis. Adde Luc. 13, 34. Occurrit quidem *ἐπισυναγωγης* vocabulum etiam apud Paulum 2 Thess. 2, 1., sed *de coniunctione tamen alia*, quam de coetu Christianorum, quem auctor epistolae nostrae intelligit. — Obvium porro est cap. 9, 1. *ἁγιον κοσμικον*, neque intellexerim, uti suadent Storr, Heinrichs, Rosenmüller, Schleusner, Schulz,

---

58) Conferantur inter alios plures Haubold in *Diss. de voce* *ἐπισυναγωγης* Hebr. 10, 25. et Kuichler in *Diss. de loco* Hebr. 10, 25. Dresd. 1792.

aliique, *ἁγιον ἐπιγειον*, sed *sanctuarium*, *quod non minus exornatum sit*, *quam sanctuarum Iudaeorum.* Sic enim respondet allegoriae ab auctore susceptae. Paulus vocabulo: *κοσμικος* longe alio utitur sensu Tit. 2, 12., atque, si de rerum ornamentis sermo est, adhibet vocabula: *κοσμιος* et *κεκοσμημενος*, 1 Tim. 3, 2. 2, 9. — *Ἐπιλαμβανεσθαι de auxilio praestito* occurrit Hebr. 2, 16. 8, 9. atque cap. 2, 18. per *βοηθησαι* explicatur. Sic legitur apud Sirac. 4, 12. atque optimos Graeciae scriptores [59]). *Ἀναλαμβανειν* Philo amat. Significatione plane alia occurrit apud Paulum, ita scilicet ut *sectari* vel *consequi* valeat, v. c. 1 Tim. 6, 12. coll. comm. 19. — *Περικαλυπτειν* cap. 9, 4. *de vasibus* usurpatur, *quae sint obducta laminis aureis. De obvelandi consuetudine* auditur apud Paulum 1 Tim. 2, 9. Philo de eadem re exponens utitur vocabulo *χρυσουν*, libro 3. *de vita Mosis* pag. 668. et *de nomin. mut.* pag. 1050. — *Συνειδησεως* vocabulum, quod reperis cap. 9, 9. aliisque in locis epistolae, recte ab *Oecumenio* explicatur per *ψυχην*, a *Theophylacto* per *το ἐντος των ἀνθρωπων*. Indicat enim *animam*. Sermo est inprimis loco laudato de victima, quam obtulerit Iesus *δια πνευματος αἰωνιου* (sic enim legere mallem) h. e. dum animam victimae, quae permaneret, loco secum in coelum sumeret idque eo consilio ut hominum animam (*συνειδησιν*) eo magis emendaret. Concludendi ratio est: *vis purgandi eo maior in sanguine Iesu effuso esse potest*, *cum θυσιας a Iesu oblatae spiritualis sit indoles.* Cap. 9, 14. *συνειδησις ἁμαρτιων* est *anima peccandi illece-*

---

59) Conf. Ernesti *Gloss. Polyb. sub hoc vocabulo et Plutarchus de Is. et Osir.*

bris infecta. Cap. 10, 22. verba: *ἐῤῥαντισμενοι τας καρδιας ἀπο συνειδησεως πονηρας* exponunt *de mente, in qua non amplius sit pessime agendi studium.* Cap. 13, 8. synonymiter posita reperis *καλην συνειδησιν* et *καλως θελοντας.* Miror igitur, quomodo Schulz in omnibus his locis deprehenderit *conscientiae* significationem. De anima etiam *συνειδησεως* vocabulum occurrit apud LXX *seriores* Cohel. 10, 20. Hinc etiam Philo in libro: *quod det. pot. ins.* pag. 186. animam a peccatorum illecebris purgatam vocat *ἁγνιαν ἱεραν ψυχης.* *Συνειδησεως* vocabulum a Paulo usurpatum *conscientiam* indicat, ut Rom. 5, 15. 2 Cor. 8, 7. 12, 10. 25. — *Ἀναιρειν,* quod est cap. 10, 9., opponitur *τῳ στησαι* synonymumque est *του παλαιουν,* 8, 13. Nullibi Paulus vocabulo *ἀναιρειν* hoc utitur sensu, sed amat potius *καταργειν,* v. c. Gal. 3, 17. 2 Cor. 3, 14. Rom. 3, 31. Usus huius vocabuli in isto epistolae nostrae loco obvius reperitur apud Xenophontem Cyrop. 1, 1, 1. ubi verba sunt: *ὀλιγαρχιαν ἀναιρειν.* — De peculiariori doctorum in ecclesia Hebraeorum denominatione, qua dicuntur *ἡγουμενοι* capite 13., dicta quaedam sunt §. 8. *Ἡγουσθαι de doctoribus* usurpatum habes Matth. 2, 6. Act. 7, 10. et apud *interpretes Alexandrinos* Exod. 13, 24. Philo hoc vocabulum *opponit subditis* in genere *omnibus,* v. c. in libro *de legatione ad Caium* p. 1032. Schulzii explicationem, qua *ἡγουμενοι* sint *coenobiorum praefecti,* miraberis potius, quam veram agnosces. Est vero profecto explicatio nostra, ex qua hoc vocabulum nostro loco doctores insignire putatur, vocabuli huius *sensus* potius dicendus, quam *significatio.*

§. 36.

Vocabulorum in epistola ad Hebraeos iunctura peculiarior.

Epistolam ad Hebraeos diligentius perlustrantem et cum epistolis inprimis Paulinis comparantem non magis latere poterit, vocabulorum in eadem *iuncturam plane peculiarem esse* atque ab usu Paulino diversam. Nec superfluum erit, huius quoque rei exempla aliquot in medium protulisse. Amantissimus prae caeteris omnibus est epistolae auctor e more Graecorum optimorum, et Philonis etiam, *constructionis*, quam dicunt, *participialis*, et *genitivorum* inprimis *absolutorum*. *Octagies atque quater* in una eademque epistola habes *participia activa*, *centies* et *septies* participia *passiva* et *media*, atque *septies* genitivos absolutos. Maximum profecto reperies discrimen, epistola ad Hebraeos cum literis Pauli ad ecclesiam Romanam datis comparata. In epistola enim ad Romanos multum prolixiori *nonagies* reperi *constructionem*, quam dicunt, *participialem activam*, *duodequadragesies* tantum *constructionem participialem passivam* atque *mediam*, *nec* tamen *ullibi genitivos absolutos*. *Decies* tantum Paulus apostolus, quantum vidi, *in omnibus epistolis* suis utitur *genitivis absolutis*, plerumque *contra regulas a grammaticis scriptas*, e quibus, ut dicendi consuetudinem retineam, in genitivis absolutis adhibendis duo requiruntur subiecta. Duo enim illa subiecta frustra quaesiveris v. c. 1 Cor. 11, 20. et 2 Cor. 7, 5., ubi *ἐλθοντων ἡμων* et *θλιβομενοι* secum iunguntur. — Cum LXX *interpretibus* et *Luca* epistolae auctor lubentissime scribit *το ἐσχατον ἡμερων*. cap. 1, 1., *το ἀμεταθετον της βουλης*, v. c. 6, 17. 20. 7, 3., habetque iuncturas huius generis plures. Ἐσχατους χρο-

νους Petrus habet 1. 1, 20., *ἐσχατην ἡμεραν* Iohannes 6, 39. 40., *ἐσχατας ἡμερας* Paulus 2 Tim. 3, 1; *βεβαιαν ἐλπιδα* et *βεβαιαν βουλην* idem Paulus, v. c. 2 Cor. 1, 7. — *Κοινωνειν* reperis iunctum *cum genitivo obiecti*, quod dicunt, v. c. *κοινωνειν σαρκος* Hebr. 2, 14. Paulus *dativum* obiecti addit, v. c. Rom. 12, 13. 15, 27. Gal. 6, 6. Phil. 4, 15. 1 Tim. 5, 22. — *Διαφερειν* iungere Paulus solet *genitivo obiecti*, quem dicunt, v. c. 1 Cor. 15, 41. Gal. 4, 1. et sic quoque legitur Matth. 10, 31. *Διαφορωτερον παρα τινος*, uti est Hebr. 1, 4., Paulus nullibi habet. — *Ῥησαι προς τινα*, quod reperis cap. 1, 13., apud Paulum est cum *dativo obiecti iunctum*, v. c. Rom. 9, 12. 16. Gal. 3, 16. — *Ἀναστασιν νεκρων* legis cap. 6, 1., uti Matth. 22, 31. Act. 17, 32., cum Paulus scribat *ἀναστασιν ἐκ νεκρων*, Rom. 6, 9. 1 Cor. 15, 12. — *Παθηματα Χριστου* apud Paulum occurrunt v. c. Phil. 3, 10. 2 Cor. 1, 5., sed nullibi iuncta legis *παθηματα θανατου*, quae reperiuntur Hebr. 2, 9. — Vocabulum *ἀγαγειν*, quod vides cap. 2, 10. cum *δοξα* coniunctum, hoc modo (*εἰς δοξαν ἀγαγειν*) in nulla epistolarum Paulinarum esse solet verbum hac in re solemne, sed potius *καλειν εἰς την δοξαν* et *δουναι δοξαν*, v. c. 1 Cor. 2, 12. — Coniungit Paulus *κρατειν* cum accusativo, v. c. Col. 2, 19., eodemque modo Iohannes Apoc. 7, 1. et Marcus 9, 10. Epistolae nostrae auctor praefert *coniunctionem* huius verbi *cum genitivo* scribitque *κρατησαι της ὁμολογιας*, 4, 14; *κρατησαι της προκειμενης ἐλπιδος*. — *Εὐηγγελισμενος* et *εὐαγγελισθεις* legitur Hebr. 4, 2. 6. ita ut sit verbi iunctura *εὐαγγελιζειν τινα*, cuius loco legitur apud Paulum, v. c. 1 Thess. 1, 6., *εὐαγγελιζειν τινι*. *Εὐαγγελιζειν τινα* Matthaeus habet 11, 5. — *Ἀδυνατον* Paulus usurpat v. c. Rom. 8, 3. 15, 1., sed *nullibi cum infinitivo iunctum*, ut est in formulis: *ἀδυνατον ψευσασθαι* Hebr. 6, 18.; *ἀδυνα-*

τον ἀφαιρειν 10, 4.; ἀδυνατον εὐαρεστειν. 11, 6. — Constructio ἱερευς ἐπι τον οἶκον, quae obvia est 10, 21., nullibi praeter hunc locum reperitur. — *Aὶ* προτερον ἡμεραι, quas singulariori modo iunctas habes 10, 32., praeterquam in N. T. frustra quaeris. — Καταβαλλειν θεμελιον habes 6, 1., apud Paulum est ἱσταναι θεμελιον itemque οἰκοδομειν et τιθεναι θεμελιον. 2 Tim. 2, 9. Rom. 15, 20. 1 Cor. 3, 10. 13. Sed sufficiant haec pauca exempla non plane praetermittenda in indole epistolae ad Hebraeos plane peculiari delineanda.

§. 37.

Scribendi formulae peculiares.

A singulis vocabulis peculiari modo in epistola ad Hebraeos obviis eorumque iunctura plane singulari merito transeundum est ad *scribendi formulas modo maxime peculiari sumtas.* Sed nisi voluerim epistolam totam in hac re exscribere, provocandum erit ad iudicium cuiusque, qui lectis reliquis N. T. epistolis has ad Hebraeos datas literas adierit, incumbitque mihi officium, aliquot tantum laudandi in hac re exempla. Legendo enim hanc epistolam maxime peculiares agnosces formulas: διαφερωτερον ὀνομα κληρονομειν 1, 4; εἰναι εἰς πατερα 1, 5; δοξῃ στεφανουν 2, 9; πεποιθοτα εἰναι 2, 13; ἀρχην λαμβανειν λαλησαι 2, 3; ἀρχιερευς της ὁμολογιας 3, 1; μαρτυριον των λελαλημενων 3, 5; παῤῥησια της ἐλπιδος 3, 6; στοιχεια της ἀρχης των λογιων του Θεου 5, 12; διικνουσθαι ἀχρι μερισμου ψυχης τε και πνευματος 4, 12; προσερχεσθαι θρονῳ χαριτος 4, 16; ἐξ ἀνθρωπων λαμβανεσθαι 5, 1; περικεισθαι ἁμαρτιαν 5, 2; ἀφιεναι τον της ἀρχης λογον και ἐπι την τελειοτητα φερεσθαι 6, 1; γευσασθαι δωρεας ἐπουρανιου 6, 4; μιμηται των δια πιστεως κληρονομουντων

6, 12; ἀγκυρα ἐλπιδος 6, 19; προκειμενη ἐλπις 6, 18; ἱερευς εἰς το διηνεκες 7, 3; ἐντολη ἀποδεκατοῦν 7, 5; μετατιθεμενη ἱερωσυνη 7, 12; ζωη ἀκαταλυτος 7, 16; κεχωρισμενος ἀπο των ἁμαρτωλων 7, 26; δικαιωματα λατρειας 9, 1; περικεκαλυμμενος χρυσιῳ 9, 4; στασιν ἐχειν 9, 4; παυεσθαι προςφερομενην 10, 2; διδαχαι ξεναι 13, 9; θυσια αἰνεσεως 13, 15. Miraberis profecto, plures harum phrasium reperiri apud Philonem. Ἀρχιερεα ὁμολογιας legis in libro *de somniis* p. 598; σκιαν των ἐπουρανιων in libro *de migrat. Abrah.* p. 315. Formulam 9, 14.: το αἱμα Χριστου, ὁς δια πνευματος αἰωνιου ἑαυτον προςηνεγκεν, in libro *de migr. Abr.* exprimit sic: το ψυχικον αἱμα προςηνεγκεν. Formula cap. 5, 1.: προςφερειν δωρα και θυσιας Philo simili fere modo utitur in libro *de spec. leg.* p. 797., habens verba: ποιειν ἱκεσιας και εὐχας. Sed adeat Philonem ipsum, qui plurima poscat exempla. — Qui contra epistolas Paulinas legerit, luculentissime desiderabit in epistola ad Hebraeos formulas, quae Paulo quam maxime sunt in deliciis, v. c. ἀφοριζεσθαι εἰς το εὐαγγελιον, χαρις και εἰρηνη, κατ᾽ ἀληθειαν λεγειν, δικαιοσυνη ἐκ πιστεως, δικαιουν δωρεαν et χωρις νομου, λογιζεσθαι εἰς δικαιοσυνην, εἰρηνην ἐχειν προς τον Θεον aliasque simillimas.

§. 38.

In denominationibus de Iesu usurpatis peculiaris consuetudo.

Attente N. T. epistolas perlustraturis luculentissimum erit, apostolos in *nominibus Iesu tribuendis* atque in *formulis, quibus ipsum insigniant*, conspirare quidem inter se, sed unicuique tamen eorum certa *quaedam nomina* et *certas in hac re formulas magis quam reliquis esse in deliciis*, alium etiam

large, alium *minus large* his nominibus et formulis uti, et *unumquemque* eorum *appellationibus* tunc temporis *maxime receptis addere quasdam minus consuetas*, nosque habere in his omnibus *indicia* quaedam, e quibus literarum *auctores* possimus *agnoscere*. Neque taedium, ut mihi persuasum est, excitabitur, si in indaganda epistolae ad Hebraeos indole peculiariori haec uberius tanguntur [60].

Iacobus apostolus, Iesu mentionem faciens, formulas habet non nisi has: κυριος 1, 7. 5, 14; κυριος Ἰησους Χριστος 1, 1. et Ἰησους Χριστος κυριος 2, 1. *Iudas* de Iesu locuturus utitur appellationibus: Ἰησους comm. 1.; κυριος Ἰησους Χριστος comm. 4. et 17., et σωτηρ comm. 25. *Iohannes* apostolus, ubi loquitur de Iesu, usurpat appellationes has: Χριστος 1, 1. 2. 3. 5, 6; Χριστος epist. II. 9; Ἰησους υιος Θεου I. 5, 5; Ἰησους Χριστος υιος Θεου I. 1, 7; υιος Ἰησους Χριστος I. 5, 20. II. 3; Ἰησους ὁ Χριστος I. 5, 1. II. 7; Ἰησους Χριστος δικαιος I. 2, 1; υιος Θεου et υιος Θεου Ἰησους Χριστος I. 1, 3. 4, 9. 14. 15. 5, 9. 10. 11. 12. 13. 20; denique υιος μονογενης Θεου 1, 9. Ad *Petrum* transeuntibus obviam fiunt appellationes hae: Ἰησους Χριστος I. 1, 7. 13. 2, 5. 3, 21. 4, 11. II. 1, 1. 3; Χριστος I. 1, 11. 19. 3, 16. 18. 4, 1. 13. 14. 5, 1; Χριστος Ἰησους I. 5, 10. 14; κυριος Ἰησους Χριστος I. 1, 1. 2. II. 1, 8. 14. 16; κυριος I. 2, 13. II. 3, 10. 12; σωτηρ Ἰησους Χριστος II. 1, 1; κυριος ἡμων και σωτηρ Ἰησους Χριστος II. 3, 1; λιθος προςκομματος και πετρα σκανδαλου I. 2, 8; ἀμνος ἀμωμος I. 1, 9. et ποιμην και ἐπισκοπος ψυχων I. 2, 5. Videbis in his iam discrimina aliqua in unoquoque apostolorum conspicua.

60) Nonnulla in hac re tetigit Schulz in *commentario* p. 139 sequ. Reperta sunt haec, cum sequentia iam a me essent collecta. *Discrimen* tamen *magnum* lector ipse videbit.

Largissimam harum appellationum messem nobis exhibet *Paulus* apostolus, rite iam a me examinandus. Denominatio Ἰησου ab ipso adhibetur Phil. 2, 10. 1 Thess. 4, 14. Rom. 8, 11. 1 Cor. 12, 3. 2 Cor. 4, 5. 11. Eph. 4, 21. ubi in duobus quidem ultimis locis *articulum* additum esse vides. — Legis apud eundem appellationem Ἰησου Χριστου, *sine ullo* tamen *articulo*, in locis sequentibus: Rom. 1, 1. 6. 8. 2 Cor. 1, 1. 4, 6. 5, 18. 13, 5. Gal. 1, 1. 2, 16. Eph. 1, 1. 2, 20. 3, 9. Phil. 1, 1. 6, 6. 8. 9. Col. 1, 1. 1 Tim. 1, 16. 2 Tim. 1, 1. 2, 3. 8. Tit. 1, 1. 3, 6. Philem. 9. — Χριστου Ἰησου, et quidem *sine articulo*, appellationem reperis Rom. 6, 3. 8, 2. 15, 17. 1 Cor. 1, 2. 4, 15. 16. 24. 30. Gal. 3, 16. 4, 14. 5, 6. 6, 15. Eph. 1, 1. 2, 7. 10. 13. 3, 21. Phil. 1, 1. 26. 2, 5. 3, 14. 4, 7. 21. Col. 1, 4. 28. 1 Thess. 2, 14. 1 Tim. 1, 1. 14. 15. 6, 13. 2 Tim. 1, 1. 10. 2, 1. 3, 12. 15. Philem. 1. 6. 23; *cum articulo* non nisi Eph. 3, 1. Phil. 2, 21. 3, 12. — Κυριου vocabulum Paulus de Iesu usurpat, et quidem *sine articulo*, in priori ad Cor. 4, 4. 17. 7, 25. 9, 1. 2. in posteriori ad Cor. 2, 10. 21. 10, 26. 11, 32. Phil. 2, 24. 29. 3, 1. 4, 4. Col. 4, 7. 1 Thess. 3, 8. 15. 5, 12. 2 Thess. 3, 4. 2 Tim. 1, 18; *cum articulo* vero 1 Cor. 4, 5. 6, 14. 7, 10. 12. 10, 22. 11, 23. 26. 27. 12, 5. 14, 37. 2 Cor. 5, 6. 8. Eph. 5, 17. 29. 6, 7. 10. Col. 3, 23. 1 Thess. 1, 6. 5, 27. 2 Thess. 2, 8. 3, 1. 3. — Denominatione κυριου Ἰησου utitur, et *cum articulo* quidem, 1 Cor. 11, 23. 2 Cor. 4, 10. 14. Eph. 1, 15. 1 Thess. 1, 7. 2, 15; *sine articulo* Col. 3, 17. 1 Thess. 4, 1. — Κυριου Ἰησου Χριστου appellationem amat, et *sine articulo* quidem Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3. 8. 6. 2 Cor. 1, 2. Gal. 1, 3. 6, 18. Eph. 1, 2. 3. 3, 14. 17. 6, 23. Phil. 3, 20. 4, 23. Col. 1, 2. 2 Thess. 1, 1. 1 Tim. 1, 1. 6, 3. 14. Tit. 1, 4. Philem. 3; eadem scri-

bendi ratio *addito articulo* reperitur Rom. 5, 1. 11. 13, 14. 15, 6. 30. 26, 18. 20. 24. 1 Cor. 1, 2. 2, 7. 2 Cor. 11, 30. Ephes. 6, 25. Col. 1, 3. 1 Thess. 5, 11. 13. 5, 9. 23. 28. 2 Thess. 1, 2. 2, 1. 2 Tim. 4, 22. — Praeterea ipsi Iesu mentionem facienti solemne est *vocabulum* Χριστου, et *articulo* quidem *addito*, Rom. 1, 16. 8, 11. 9, 3. 15, 19. 16, 16. 1 Cor. 1, 6. 13. 9, 18. 10, 9. 16. 12, 12. 15, 22. 2 Cor. 1, 5. 2, 12. 3, 4. 4, 4. 10, 14. 5, 10. 14. 12, 9. Gal. 1, 7. 5, 24. Eph. 10, 20. 2, 5. 3, 6. 8. 17. 19. 4, 7. 20. 5, 2. 24. 29. 6, 5. 6. Phil. 1, 15. 16. 3, 18. Coloss. 1, 7. 24. 2, 2. 11. 17. 3, 1. 3. 4. 16. 4, 3. 2 Thess. 2, 2. 3, 5. Eadem Iesu designatio, sed sine *articulo*, est in locis Rom. 5, 6. 6, 8. 8, 9. 17. 34. 9, 1. 12, 15. 14, 9. 15, 20. 1 Cor. 1, 17. 23. 3, 1. 4, 1. 10, 15. 11, 1. 12, 27. 15, 3. 12—20. 22. 23. 2 Cor. 2, 10. 15. 17. 4, 17. 5, 17. 19. 20. 11, 10. 13. 23. 12, 2. 10. Gal. 1, 10. 22. 2, 17. 19. 20. 21. 3, 13. 29. 4, 7. 19. 5, 1. 2. Eph. 1, 3. Phil. 1, 10. 13. 18. 20. 21. 29. 2, 1. 3, 8. 9. 4, 13. Coloss. 1, 2. 27. 2, 5. 8. 1 Thess. 2, 7. 4, 16. — Utitur Paulus de Iesu verba faciens formulis: *ὁ κυριος Ἰησους* Col. 3, 24.; *κυριος ὁ Ἰησους ὁ σωτηρ* Tit. 1, 4. 2, 10.; *κυριος ὁ κριτης δικαιος* 2 Tim. 4, 8.; *Ἰησους Χριστος κυριος* 2 Tim. 1, 2. 12. 1 Cor. 4, 5. Rom. 6, 23. 8, 4. Eph. 3, 1. 11. Phil. 3, 8. Col. 2, 6.; *υἱος Θεου* Rom. 1, 2. 5, 10. 8, 9. 32. 34. 1 Cor. 5, 28. Gal. 1, 10. 4, 4. 6. Eph. 4, 13. Col. 1, 13; *υἱος Θεου Χριστος κυριος* 1 Cor. 1, 9. 5, 5; *υἱος Θεου του ἀπ᾽ οὐρανου* 1 Thess. 1, 10; *πρωτοτοκος, πρωτοτοκος πασης της κτισεως* et *πρωτοτοκος ἐκ νεκρων* Rom. 8, 29. Col. 1, 15. 18; *ἀνθρωπος* et *δευτερος ἀνθρωπος* 1 Cor. 15, 47. Rom. 5, 15; *μεσιτης Θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος Ἰησους Χριστος* 1 Tim. 2, 5; *κεφαλη ὑπερ παντων τη ἐκκλη-*

σια. Ephes. 1, 22.; κεφαλη πασης αρχης και ἐξουσιας Col. 2, 10.; Χριστος, ἐν ᾧ κατοικει το πληρωμα της θεοτητος σωματικως Col. 2, 9.

Epistolam ad Hebraeos si adieris, reperies appellationes has: Ἰησους et quidem articulo plane nullo addito 2, 9. 4, 8. 6, 20. Ἰησους Χριστος, et quidem *addito articulo* 10, 20. *absque articulo* 13, 8. 21. Χριστου appellationem conspicis *sine articulo* semel tantum 9, 11. *adiecto articulo* saepius, nempe 3, 14. 5, 5. 9, 14. 24, 28.; Χριστον Ἰησουν legis 3, 1.; κυριον Ἰησουν animadvertis 13, 20.; υἱον του Θεου appellatio inest locis 1, 1. 8, 5. 8. 6, 6. 7, 3. 29.; Ἰησουν υἱον του Θεου habes 4, 14. 5, 1.; Χριστον υἱον ἐπι τον οἰκον Θεου reperis 5, 1.; ἀποστολον 3, 1.; υἱον, ὃν ἐθηκε κληρονομον παντων, — ὃς ὢν το ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποστασεως αὐτου 1, 2. 3.; ἀρχιερεα, et ἀρχιερεα της ὁμολογιας 3, 1. 8, 1. et in locis aliis permultis; μεσιτην διαθηκης. 8, 6. 9, 15. 12, 24.; ἀρχηγον σωτηριας, ἀρχηγον και σωτηρα, et ἀρχηγον της πιστεως και τελειωτητος 5, 31. 2, 10. et 12, 2.

§. 39.

Antecedentium continuatio.

His rite peractis luculentissime videmus omnes apostolos in appellationibus de Iesu usurpatis inter sese esse diversissimos. Scilicet

1) apud *Iacobum* apostolum appellationes Iesu occurrunt tres, quibus semper additum est vocabulum κυριου.

2) Apud *Iudam* animadvertes appellationes tres, *'Ιησουν*, *'Ιησουν Χριστον* et *σωτηρα*, quibus additum est semel vocabulum *κυριου*.

3) *Iohannes* apostolus utitur huius generis appellationibus undecim, neglecta appellatione *κυριου*, et ita quidem ut ipsi maxime in deliciis sit appellatio *υἱου του Θεου*.

4) *Petrus* apostolus habet totidem quot Iohannes appellationes, quibus Iesum insigniat, undecim, in quarum numero est *κυριος* et *ὁ κυριος* et *κυριος ὁ σωτηρ*.

5) Apud *Paulum* apostolum sunt appellationes Iesu viginti quatuor. *Quinquies* et *centies* legis *κυριου* appellationem, vel sine vel cum additamento scriptam. *Septies* occurrit *'Ιησου* appellatio et *bis quidem cum articulo; tricies 'Ιησου Χριστου* denominatio et quidem ubique *articulo omisso; duodequadragies* habetur *Χριστος 'Ιησους* et *bis* quidem *articulo addito; undequadragies κυριος* et quidem *vicies* cum articulo; *octies κυριος 'Ιησους*, et quidem *bis absque articulo. Χριστου* appellationem habet *quindecies* et *centies*, et *sexagies* quidem et *bis* articulo adhibito. Est igitur *Χριστου appellatio* ipsi *amatissima* eidemque praeterea *κυριου nomen maxime in deliciis.*

6) *Epistolae ad Hebraeos auctor* inserit *appellationes Iesu* quatuordecim, in quibus appellatio *υἱου του Θεου saepissime* occurrit. *Ter* habet *'Ιησουν*, sed *articulo* tamen *omisso*, *ter 'Ιησουν Χριστον*, et *semel* quidem sine *articulo*, *sexies Χριστον*, *semel Χριστον 'Ιησουν. Κυριου denominatio semel* tantum *addita* est *'Ιησου* appellationi; *sine additamento posita plane non legitur.*

7) Habet praeterea unusquisque apostolus appellationes quasdam peculiares: *Iudas* denominationem σωτηρος; *Iohannes* Χριστου δικαιου et υἱου μονογενους; *Petrus* λιθου προσκομματος και πετρας σκανδαλου et ποιμενος και ἐπισκοπου ψυχων; *Paulus* κυριου, κριτου δικαιου, υἱου πρωτοτοκου, πρωτοτοκου της κτισεως, πρωτοτοκου ἐκ νεκρων, ἀνθρωπου, δευτερου ἀνθρωπου, μεσιτου Θεου και ἀνθρωπων, κεφαλης ὑπερ παντων, κεφαλης πασης ἀρχης και ἐξουσιας, et Χριστου, ἐν ᾧ κατοικει το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Hanc peculiari modo Iesum insigniendi rationem vides luculentissime quoque in *epistola ad Hebraeos*, si legeris appellari Χριστον υἱον ἐπι τον οἰκον; ὁν ἐθηκε Θεος κληρονομον παντων και ὁς ἐστι το ἀπαυγασμα δοξης και χαρακτηρ ὑποστασεως αὐτου; ἐπιτροπον ἁγιων; ἀρχιερεα et ἀρχιερεα ὁμολογιας; ἀποστολον; μεσιτην διαθηκης; ἀρχηγον σωτηριας; ἀρχηγον πιστεως et ἀρχηγον και σωτηρα.

Colligere ex his omnibus licet, *epistolam ad Hebraeos uberrimam omnium* esse in harum *appellationum diversitate*, occurrere tamen apud auctorem ipsius *appellationes Iesu multo rarius* quam apud Paulum, illumque *ipsum*, omisso fere semper *κυριου* nomine, *minorem* in appellationibus Iesu usurpandis ostendere *reverentiam*, atque *eundem maxime omnium* cum Iohanne occupatum esse in Iesu tanquam υἱῳ του Θεου insigniendo, in *genere* vero in hac etiam re *magnum intercedere discrimen* inter *Paulum epistolaeque nostrae auctorem*.

§. 40.

Creberrimus usus vocabulorum, quae dicuntur, compositorum.

Amare solet Graecorum in dicendo atque scribendo venustas atque elegantia vocabula inprimis *composita* atque *decomposita*, ut utar Grammaticorum dicendi consuetudine, eratque hic vocabulorum compositorum usus tum signum quoddam hominum a plebecula remotorum, tum dicendi conamen, quo rei forma atque natura diligentius circumscriberetur, quippe in qua verborum compositorum usurpandorum consuetudine cernitur philosophica linguae graecae virtus maxima, quam caeterae linguae frustra assequi student. Videmus huius venustatis atque elegantiae, qua rerum natura accuratius delineatur, et exquisitior certe dicendi ratio proditur, exempla apud *Theophrastum* inprimis, qui hac duplici causa ductus habet vocabula huius generis permulta, v. c. *μικροφιλοτιμια*, *μικρολογια*, *ἀκαιρια*, *περιεργια*, *μεμψιμοιρια*, *ἀνελευθερια*, *ὑπερηφανια* itemque *μεσοπορειν*, *ἀργυροθηκη*, *ἀπροβουλευτος*, *ἀποδιδρασκειν*, *ἀθεραπευσια*, *ἀντιπροςειπειν*, *ἀπονιψασθαι*, *ἐκδουναι*. Utitur quam maxime ista scribendi consuetudine, quae in vocabulis compositis usurpandis dicendi venustatem atque robur quaerit, etiam Philo, ad cuius auctoritatem hucusque saepissime provocavi. Amat hinc v. c. vocabula: *ἀδηλωτης*, *ἐπιλησμονη*, *ἀναθεματιζειν*, *νομοθετειν*, *περιφερεσθαι*, *θηριωδεστερον*, *ἀμεταβλητος*, *ἀγνωμοσυνη*, *ἀσωματος*, *δημιουργος*, *ἀνευρισκειν*, *ἱεροπρεπεστατος*, *ἀρχιερωσυνη*, *ἐπιφανεστατος*, *περιλαμπεστατος*. Imitati sunt hoc scribendi genus recentiorum nonnulli, v. c. *Camerarius*, qui missis versibus, quos equo vectus confecerat, hoc utebatur vocabulo: *ἀκαλλιθορυβομουσωταχυπατακτος*.

Iam vides epistolae quoque ad Hebraeos auctorem elegantioris huius in scribendo rationis esse amantissimum. Numerabis enim in ipsa, nisi fallor, vocabula *composita* et *decomposita* DXXXIV, cum contra epistola ad Romanos, quae multo longior est, non nisi habeat CCCCLXXVIII. Vides etiam *Paulum non nisi certa quaedam vocabula composita*, ipsi saepius obvia, amare, v. c. *εὐδοκια, καταισχυνεσθαι, ἐκλογη, συνεργος, ἐπικαλειν*. Rarius reperis apud ipsum verborum compositorum indolem, quae *rerum naturam* veluti *delineet*, videsque horum vocabulorum usurpatorum in plerisque epistolarum locis aliquam *necessitatem*. Usum *vocabulorum compositorum* longe *alium in epistola ad Hebraeos* habes, si attenderis v. c. ad vocabula: *μισθαποδοσια, συνεπιμαρτυρειν, μετριοπαθειν, προσαγορευειν, συγκακουχειν, καταφευγειν, διηνεκης, ὁρκωμοσια, διορθωσις, ἐγκαταλειπειν, ἐνυβριζειν, ἐνδυναμουσθαι, ἐνοχλειν, ἀναθεωρειν*. In plerisque enim locis haec vocabula non nisi *exquisitiori scribendi rationi* sunt *adscribenda*; atque quam maxime est cavendum, ne vim ipsis subiicias maiorem, quam verba habeant, quae dicuntur, simplicia.

§. 41.

Alexandrina maxime scribendi indoles.

Maxime *stipatae* esse solent epistolae *Paulinae Hebraismis*, quos appellant, et in verborum singulorum *origine* inque ipsorum *vi* atque *potestate*, et in eorundem *iunctura* [61]). Referas huc vocabula *βιβλος, προσωποληψια, μυστηριον*; *pleonasmum* in vocabulis *χειρος, καρδιας, στοματος, τον δωρεαν, ἡμε-*

61) Cfr. hac in re inprimis Vorstius in libro *de Hebraismis N. T. edit. Fischer.*

ρας, σπλαγχνων; phrases ἰδειν διαφθοραν, βαθος σοφιας, ἀρτον ἐσθιειν; formulas μωρια αὐτῳ ἐστι, προσκοπτειν ἐν τινι, et centies mille alias. *Non plane carere* dixeris *epistolam nostram his*, quos dicunt, *Hebraismis*, quod docent v. c. vocabula προσωπου, ἀδικιας, δικαιοσυνης, δικαιωματων, κυριου, μεσιτου, πνευματος ἁγιου, αἱματος ῥαντισμου pluraque alia. Sed *melior* tamen est *scribendi consuetudo* et in *vocabulis plerisque ipsis seligendis* et in ipsarum *vi atque potestate* eorundemque *iunctura*. Imitatur nostrae epistolae auctor maxime in his omnibus Alexandrinos V. T. interpretes utiturque scribendi ratione, quae maxime auditur apud Philonem. Neque tamen opus esse videtur plura huius rei exempla afferre, quam husque quavis fere pagina a me sunt laudata. Scribit hinc iam Hieronymus aliquo loco: „*epistola ad Hebraeos Philoneum aliquod spirat*,“ idque optimi etiam eius interpretes agnoscunt, in quibus primum locum obtinet Carpzov. in *exercitationibus Philonianis ad epistolam ad Hebraeos*. Consentiunt in hac re Sturz, Henke, Eichhorn [62]) aliique plures, et dolendum tantum est, plures recentiorum in multis certe huius epistolae locis huius rei fuisse immemores.

§. 42.

Scribendi genus fortius, exquisitius atque perfectius.

Minime quidem negari poterit, *epistolis* N. T. *omnibus*, *Paulinis inprimis*, inesse loca, *quae pe-*

---

62) Sturz in libro *de Dialecto Macedonica atque Alexandrina*. — Henke *in Dissert. de usu LXX interpretum in N. T.* — Eichhorn *in der Einleitung in das N. T.* 3. Band.

culiarem habeant gravitatem. Referas huc v. c. formulam: πολιτευμα ὑμων ἐν τοις οὐρανοις Phil. 3, 20., totumque adeo locum 1 Cor. 9, 24 sequ. Simillimo etiam modo, apud Paulum praecipue, reperimus periodorum venustatem atque elegantiam, Rhetoricesque adeo artes. Sed in plerisque tamen N. T. epistolis, si argumenti ipsius robur exceperis, vocabulorum atque phrasium vis magnopere desideratur; periodi occurrunt simpliciores minimeque omnibus numeris absolutae, nec absunt molestissimae repetitionis unius eiusdemque rei indicia. Abrupta est saepius periodorum structura, neque omnibus numeris absoluta esse solet uberius explicandi, probandi atque concludendi ratio. Desideratur in ipsis scribendi concinnitas atque aequabilitas. Cogites, ut uno tantum exemplo utar, de loco Gal. 3, 15 sequ., ubi reperitur, ut cum *Theophrasto* loquar, ἀδολεσχια quaedam, docendique desideratur concinnitas atque dilucidior indoles, adeo ut excidisse apostolus videatur commate 20. argumentatione instituta. Maiorem scribendi docendique concinnitatem optaveris quidem hinc inde apud auctorem quoque epistolae ad Hebraeos. Animadvertis v. c., quantopere distensa sit de dignitate Iesu sacerdotali disputatio, et quantam molestiam creet oratio interiecta cap. 4, 5. 6. Sed his omnibus lubentissime concessis, scribendi ornatum scribendique robur praecipuum simul habes v. c. cap. 12, 23., atque qualis scribendi ornatus est in formula νεφος μαρτυρων περικειται Hebr. 12, 1.? Qualis dicendi ornatus est in formula δοξῃ στεφανουν 2, 7.? Qualis argumentandi subtilitas est Hebr. 12, 8. ubi ad excipiendi liberos, qui erat inter veteres, ritum respicitur? Sublimior profecto indoles atque scribendi audacia inest formulis: βαπτισμος διδαχης, δικαιωμα λατρειας, ἀγκυρα ἐλπιδος,

κοινωνια σαρκος και αιματος aliisque pluribus. *Ornatiores* esse solent *periodi longiusque protrahuntur*, v. c. in ipso limine epistolae. Auctorem profecto vides, qui materiem susceptam pro temporum artificio optime ad exitum perduxerit, nihilque plane in ipsa intactum reliquerit. *Non immerito* igitur dixeris *scribendi robur scribendique vetustatem in epistola hac quam maxime reperiri*, *epistolamque hanc locum* in N. T. libris obtinere, qui sit *Iesaiae vaticiniorum inter V. T. libros.*

§. 43.

Tanguntur alia huc pertinentia.

In promtu quidem sunt multa alia, quae hac in re proferre quibusque illustrare possim, genus scribendi in epistola ad Hebraeos singulari modo esse insignitum. Sed vereor, ne libellus hic in nimiam excrescat molem. Missa igitur haec faciam, cum hucusque iam dicta sufficere videantur. Ne tamen cupide in hac re egisse videar, breviter tangenda sunt, quae Schulz in *commentario suo*, eadem tractans, observatu digna putavit. Reperit nempe *creberrimum in hac epistola usum verborum in ιζω finientium* p. 146 sequ., atque *saepius lectum γαρ* p. 151., *saepissime* etiam *scriptum λαμβανειν, τελειουν, κρειττωνος* et *παντος* 153 sequ. Observat praeterea *substantivorum foemininorum ex verbis ortorum praecipuum amorem* pag. 146. Monet de *receptissimis* in eadem epistola *vocabulis, quae sint composita cum ἐν* et *ἀνα* p. 155., atque *de usu infinitivi*, ubi Paulus substantiva amet p. 146. Urget *saepius occurrens ὅθεν*, cuius loco Paulus habeat *διοτι* p. 155., itemque *ὁσος* et *τοσουτος* p. 156. *Singularem notat formulam οὐ θελω ὑμας ἀγνοειν* p. 157. et *singularem usum*

του πλειονος p. 151., του ἐντελλεσθαι ibid., τῆς εὐλαβειας p. 141., της ὁμοιοτητος p. 142. et *vocabuli* διαπαντος pag. eadem. Agnoscit praeterea, quae ipse quoque reperi et saepius monui, *auctorem epistolae* in scribendi genere quam maxime *conspirare cum Luca* pag. 136 sequ. Augeri haec omnia, ut vidi, adhuc possent, atque passim etiam emendari. Sed suum tamen cuique. Gavisus sum profecto hac viri celeberrimi diligentia, nisuque simillimo. Hoc unum tantum vehementius doleo, ista omnia non strictiori ordine esse ab ipso collecta. Optassem etiam, ut Alexandrinorum et Philonis inprimis simillimum in scribendo usum comparasset, atque his omnibus maiorem vim tribuisset, quam sententiis quibusdam audacioribus, quae probari non possint, sed cupiditatis potius excitare videantur suspicionem, cum argumenta in hac tractatione profecto non tam numeranda sint, quam potius ponderanda. Haec tamen pace viri summe venerabilis dixerim, magnopere optans, ut hoc iudicium eadem cum ipso agentis benevole excipiat.

§. 44.

Argumenti in epistola ad Hebraeos peculiarior indoles.

Praemonentur quaedam

1) *de eo, quod dicatur argumentum, et quae sit tractandi methodus.*

Satis perspicuum, ut opinor, ex hucusque tractatis iam erit, magnum intercedere discrimen inter epistolam ad Hebraeos et reliquas N. T., Paulinas inprimis, epistolas, si hanc ipsam ad Hebraeos epistolam in genere spectaveris eiusque scribendi

rationem perpenderis; meritoque iam hac de causa eam dici maxime peculiarem. Neque tamen in hucusque perpensis acquiescam. Etenim *argumentum* quoque eiusdem epistolae *perquam singulare* dici posse videtur. Sed istam libelli partem tractaturo quaedam sunt praemonenda, tum de *argumenti notione in genere* recte definienda deque argumento a tractandi indole et methodo rite distinguendo, tum de *argumento*, quod insit *epistolae ad Hebraeos*, iuste *agnoscendo*.

Griesbach. quidem 63) argumentum epistolae ad Hebraeos indicaturus ita censet: „*perquam difficile est iudicare, quid sit corpus, cum multi pro corpore habeant, quod aliis imago esse videatur.*" Sed hanc argumenti notionem symbolicam exhibiturus, qua argumentum epistolae eiusdem corpus dicere placuit, in difficultates maximas ipse incidisse atque disputandi occasionem largissimam praebuisse videtur. Argumentum equidem potius intellexerim de iis, *quae auctor sibi tractanda sumserit*, neque praetermiserim, in epistolis scribendis non tractari *unam* quandam *sententiam palmariam*, sed plures easque diversas, atque hac in re *epistolas* a *tractationibus* et *orationibus* discerni. Ab hac *sententia palmaria*, vel *sententiis* etiam *primariis*, merito distinxeris *tractandi methodum*, quae *sententiis succinctis* occupatur atque in sententiis his fusius digerendis atque explanandis potissimum versatur. Distinguenda igitur merito est sententia orationis tractationisve thesis palmaria a tractandi ratione atque a formandi inprimis has partes me-

---

63) In *comment. de imaginibus Iudaicis, quibus usus est auctor epistolae ad Hebraeos in describenda Messiae provincia, Ien.* 1792, (quam reperis in *Commentt. theoll. a Velthusen., Kuinoel. et Rupertio* editis. Vol. II, pag. 327.) §. 54.

thodo, quam utramque *τυπον παιδειας* dixeris, in literis etiam scriptis necessario diligentius observandum. Scilicet unusquisque vel tractationum vel epistolarum auctor in rerum palmarium tractatarum indole explicanda atque confirmanda via saepe maxime propria progreditur, auditorum atque lectorum ingenio atque viribus sese accommodans, simulque rerum ipsarum maxime peculiarium rationem diligentissime habens, cuius rei exemplum habes in omnibus orationibus Ciceronianis.

§. 45.

2) *De argumenti et methodi in tractando discrimine in N. T.*

Nec video, cur in epistolis N. T. rite legendis nolimus eadem procedere via. Habet enim unusquisque earum auctor sententias quasdam primarias rerum necessitate scribenti potissimum oblatas. Istae vero sententiae primariae ab unoquoque selectae et, quae est in modo tractandi, indolem auctoris spirant singularem, et peculiari modo lectores respiciunt rationemque eorum habent [64]). Habes igitur epistolarum N. T. auctores in rebus religionis proponendis peculiari tractandi methodo assuefactos, contra religionis adversarios saepe maxime peculiares verba facientes, ad auditores, quibus haec tractandi methodus peculiaris egregie arridebat. Expectari igitur merito possunt in epistolis N. T. legendis harum rerum indicia, atque respicienda erit methodus in rebus religionis tractandis peculiarior, quae res religionis ipsas non tangat, sed ab ipsis

64) Recte haec agnoscit Ernestius in *interprete N. T. Part.* 2. *cap.* 10., eadem negat tamen *de* Marees *in der Gottesvertheidigung* I. Th. *Vorr.* p. 32 sequ.

sedulo atque provide sit secernenda, nisi velimus ad res religionis fingendas trahi atque deduci. Nec poterit istam peculiariorem tractandi methodum in N. T. in universum et in epistolis inprimis eiusdem adesse denegari, quippe quam patres adeo ecclesiae Christianae veteres rite agnoverint [65]. Confitetur enim Iesus ipse, se auditorum imbecillitatem in rebus religionis tractandis respicere Luc. 8, 10. Eiusdemque ἀσθενειας lectorum mentionem iniicit Paulus Rom. 6, 9., cuius ab ipso in religionis capitibus enarrandis sit ratio habenda. Ad imbecillitatem lectorum se demittentis exempla habes 1 Cor. 9, 20 sequ. Rom. 15, 2. Act. 27, 26. Discipulos recens lectos Iesus provide instituens, non modo silet περι καινης διαθηκης, de qua sub finem vitae luculentius exponit, Matth. 26, 28., sed religionis Mosaicae duraturam adeq indolem innuere videtur Matth. 5, 17., atque in tota, quae dicitur, oratione montana, ab ipso non nisi meliorem huius religionis commentarium expectandum esse, profitetur, in qua re inest, se demittendi ad imbecillitatem auditorum, studium prudentissimum [66]. Idem Iesu auditores respiciendi studium reperis inprimis, ubi res ipsi est cum viris gentis suae doctis, v. c. Ioh. 3, 1 sequ. 8, 1 sequ. Luc. 11, 14 sequ. multisque aliis in locis. Poteris his locis singulis addere totas N. T. epistolas, in quibus

65) Cfr. Reinhard in *Diss. utrum et quomodo possint oratores divini in administrando munere suo demittere se ad vanas hominum opiniones*, in *Opusc. acadd. Vol. I. p.* 478. sequ.

66) Prolixius de hac re exposui *in diatribe de locis N. T. communibus rite seligendis p.* 47 sequ. Eadem etiam tentasse videtur Keilius in *dissert. de historica N. T. interpretatione*, quamvis cautius forte egisset, si dissertationem inscripsisset: *interpretatio grammatica, res scriptorum N. T. peculiares, historicas inprimis, respiciens.*

omnibus luculentissima sunt indicia et scribendi argumentandique rationis, quam ament inprimis earum auctores, et lectorum eorumque inprimis in argumentis struendis certae cuiusdam consuetudinis. Nec est, quod, modo cautius ea in re verseris, religionis Christianae detrimentum inde oriturum timeas. Etenim intacta remanent, his omnibus rite peractis, religionis dogmata ipsa, eademque, ut quisque fatebitur, e sermonibus inprimis Iesu popularibus iisque potissimum ad discipulos magis imbutos habitis petenda.

§. 46.

3) *Epistolae argumentum indicatur eiusque peculiarior indoles delineatur.*

His rite praemissis via munita esse videtur, qua ad *argumentum epistolae ad Hebraeos ipsum rite iudicandum* possimus transgredi. Etenim videmus in hac epistola *maximam* Iesu *adscribi dignitatem.* Dixeris hoc epistolae argumentum *palmarium* et *omnium maxime pertractatum.* Superstruitur huic argumento primario *adhortatio ad Christianorum in religione constantiam,* eaque adhortatio est *argumentum,* quod dixeris, *secundarium,* simulque *scribendi consilium* 67). Annectuntur denique *adhortationes quaedam peculiares,* easque dixeris *argumentum* epistolae *ab occasione pendens* et *rebus fortuitis datum.* Triplex vero hoc argumentum reperis arctissime invicem coniunctum inque uno eodemque veluti aedificio exstructum. Ubi vero hoc triplex argumentum seiunxeris, unumquodque eorum habet tractandi methodum nunc ex rerum Christianarum, ut hoc voca-

---

67) Agnoscit haec quoque Schulzius p. 86 et 87.

bulo utar, essentiam, nunc ex auctoris lectorumque peculiari indole petitam, quae tractandi methodus argumento epistolae adhaeret quidem, neque tamen ubivis ipsius naturam maxime necessariam constituit. Iam mihi quidem de argumento epistolae ipso sermo est, idque argumentum maxime *peculiare* dixerim, quod sit *magis datum, quam acceptum; argumentum specialissimum; de industria tractatum;* quod sit *argumentum ab epistolaram inprimis Paulinarum argumento magnopere diversum; argumentum* porro *paucorum lectorum necessitatibus adaptatum; argumentum instituendi in rebus religionis altius; argumentum* denique *minus, quam in aliis N. T. epistolis, mixtum.* Ista omnia deinceps tractandi iam mihi est animus.

§. 47.

Argumentum epistolae ad Hebraeos maxime peculiare diligentius indagatur.

Argumentum ab auctore magis datum, quam acceptum.

Maxime quidem dolendum est, nobis deesse in epistolis N. T. rite explicandis notitiam historicam, ad quam in iisdem legendis est attendendum, et ad quam argumentum ipsarum maxime respicit. Non possumus igitur non acquiescere et notitia rerum historicarum generaliori et rebus historicis ipsis ex ipsarum epistolarum argumento cautius eliciendis. Id tamen historia teste nobis persuasum esse potest, Paulum dioecesi veluti ecclesiarum Christianarum praefuisse, eandemque dioecesin originem traxisse ex ecclesiis, quarum fundamenta ipse discipulique ipsius iecerant. Ipse enim satis luculenter confitetur Rom. 15, 20, se alienis-

simo esse animo ab ecclesiis, quarum fundamenta alii iecerint. Confirmatur ista sententia eo quoque, quod in omnibus fere epistolis, v. c. 1 Cor. 3, 10. 11., horum initiorum ab ipso factorum iniicit mentionem. Ecclesiae igitur omnes dioecesi ipsius adscriptae curae ipsius unice erant dicatae, ab iisque omnibus nuntii ipsi afferebantur. Scribendi igitur consilium, si his ecclesiis non praesens esse posset, ipsi maxime necessarium esse ab ipsiusque officii ratione posci videbatur, id quod ex omnibus eiusdem epistolis satis luculenter elucet. Poteris igitur recte dicere, scribendi consilium ipsi datum fuisse a curae ecclesiarum, quas fundasset, gerendae necessitate, ipsumque cuivis apostolorum hanc curam permisisse in ecclesiis ipsorum ope fundatis. Nullum plane habemus rei contrariae exemplum in ipsius epistolis 68), nolebatque se immiscere rebus aliorum apostolorum, uti ipse fatetur loco supra laudato, Rom. 15, 20., nolebat, ut his verbis utar, *literarum argumentum accipere.*

Scribendi consilium diversissimum profecto habes in epistola ad Hebraeos atque, si Paulo esset adscribenda, non poteris non dicere, apostolum in hac una epistola leges sibi scriptas esse transgressum, quippe qui nullum insuper eius rei addiderit indicium. Epistola enim ipsa nullam profecto refert scribendi causam, nullumque ecclesiae cum epistolae auctore nexum arctiorem. Viri laxiori vinculo coniuncti, qui ne apostolis quidem annumerari possit (cfr. §. 9.), ad ecclesiam incognitam remotioremque scribentis reperis indicia a Pauli epistolis aliena. Vides etiam non nisi longitudinis epistolae aliquam excusationem, videsque auctorem

---

68) Agnoscunt idem Annales Wachleriani loco saepius a me memorato.

plerisque in locis prima, quam dicunt, persona pluralis, atque hinc contemplando potius, quam auctoritate apostolica scribentem. Cfr. §. 11. Argumentum igitur epistolae auctor sibi sumsit potius innixus magis scribendi suadendique aliqua facultate, quam officii ratione; nec probari poterit scribendi datam fuisse ipsi provinciam.

§. 48.

Argumentum specialissimum de industria tractatum.

Neque tamen, si forte cuidam haec leviora esse videantur, nititur his solis argumenti in epistola ad Hebraeos tractati peculiarior indoles. *Commendat* praeterea haec epistola *ea religionis Christianae capita, idque de industria,* quae in reliquis N. T. epistolis obiter tantum tractantur. Occupatur, uti vidimus §. 45., epistola ad Hebraeos auctoritate Iesu altiori fusius illustranda, constantia in religionis confessione enixius commendanda virtutisque incitamentis occasione oblata annectendis; quod vero epistolae argumentum arctissime simul inter se est coniunctum. Vides igitur epistolae argumentum, quod dicunt, specialissimum. Iohannes apostolus, qui auctori epistolae ad Hebraeos in tractato argumento proxime accedit, et simillimo modo fusior est in illustranda maiori Iesu dignitate, in evangelio suo aeque atque in epistolis, quae ipsum auctorem habent, et cum auctoritate hac illustranda non minus, quam epistolae ad Hebraeos auctor adhortationes ad Christianorum in religione constantiam virtutisque studium ardentius excitandum coniungit, v. c. 1 Ioh. 5, 4. Neque tamen hoc epistolarum argumentum ipsi est uni-

cum et specialissimum, sed quam maxime cum argumento alius generis mixtum. Paulus inprimis nullibi caput de maiori Iesu dignitate fusius et de industria tractat, uti in hac epistola vides. Neque ipsi est in hac dignitate describenda constantiae et virtutis praecipuum aliquod fulcrum. Doctrinae Christianae caput de maiori Iesu auctoritate ὡς ἐν παρόδῳ tangit, nec extendit hanc dignitatem ea diligentia et eo describendi ambitu, quem vides in epistola ad Hebraeos. Cfr. Col. 1, 11—23. Constantiae in religionis confessione commendatio rarius apud ipsum occurrit, cum temporis, quo vivebat, ratio eandem minus posceret. Excitatio quoque ad hanc constantiam non tam maiori Iesu virtute, quam argumentis aliis munitur, v. c. Rom. 8, 18 sequ. 2 Cor. 4, 7. 8. Excellentiae Iesu maioris mentione utitur nunc ad muneris sui apostolici auctoritatem firmandam, v. c. Rom. 1, 3. 4. Eph. 4, 8. sequ.; nunc ad virtutis studium augendum, v. c. 1 Cor. 1, 8. 9. Eph. 4, 15.; nunc ad minuendum caeremoniarum Iudaicarum valorem, ut Rom. 3, 25. Gal. 4, 4; nunc ad religionis Christianae indolem satis tutam ostendendam, v. c. Eph. 2, 19—22. Patet igitur ex hucusque dictis, Paulum in nulla epistolarum suarum peculiarius religionis dogma, omnium minime caput de insigniori Iesu virtute et praestantia, de industria tractare, et constantiae in religione retinenda commendationem cum dignitatis, quae in Iesu sit, mentione minus coniungere, omninoque ipsa religionis capita in epistolis suis magis in memoriam revocare et contra impugnationes aliorum defendere, quam docentem ea exponere.

§. 49.

Argumentum ab epistolarum Paulinarum argumento magnopere diversum.

Pauli apostoli epistolas perlustrantibus occurrit argumentum sibi simillimum, in hac vel illa epistolarum fusius forsan tractatum, quod tamen in universum semper sibi constet. Aequabilem dixeris in epistolis ipsius argumenti rationem, tum etiam conspicuam, ubi res ecclesiarum hanc rationem minus poscere viderentur. Ubique enim opiniones Iudaicas acerrime in unaquaque fere epistolarum suarum castigat. Armis impugnat callidissimis circumcisionis ritum caeremoniarumque Iudaicarum auctoritatem. Commendat ubique religionis christianae amorem sincerum et quo nemo possit supersedere, qui favorem divinum velit consequi. Unice per Iesum, neque legis Mosaicae amplius observatione obtineri posse gratiam divinam, fusius in epistolis ostendit atque inprimis ad Abrahamum provocat, qui a caeremoniis Iudaicis, a circumcisione inprimis Iudaica, alienissimus favorem Dei nactus sit maxime insignem. De glorioso Messiae adventu multis in locis exponit, v. c. 2 Thess. 1. 2. Inprimis vero dogma tractat de gentilibus, qui ecclesiis christianis non minus sint accepti, quam Iudaei, v. c. Rom. 2, 10. 3, 22. 11, 1 sequ. 1 Cor. 1, 24. Utitur insuper Paulus in hoc argumento tractando formis dicendi peculiaribus, v. c. ἐκ πιστεως δικαιωθηναι, χωρις ἐργων et χωρις ἐργων νομου, σώζεσθαι ἐκ χαριτος, προσαγωγην ἐχειν τη πιστει εἰς την χαριν, κατα σαρκα περιπατειν, aliisque. Habet insuper Paulus sententias maxime peculiares, v. c. Rom. 5, 15. 16. 20. 6, 14. 15. 16. 17. 18. multisque aliis in locis. De his fere omnibus silet ad Hebraeos epistola, quippe quae longe aliis formulis, quam quae Paulus

habet, occupetur. Obvia quidem est cap. 10, 38. formula: *ὁ δικαιος ἐκ πιστεως ζησεται*, neque tamen *το δικαιωθηναι ἐκ πιστεως* in hac epistola reperitur, et praeterea in hemistychio posteriori loci laudati *τῃ πιστει* opponitur *το ὑποστελλεσθαι*, h. e. religionis desertio. Hinc concludere fas est, *πιστιν* intelligendam esse longe aliam, quam quae sit Paulina, *firmitatem nempe in religione amplectenda*, ut supra vidimus. De imperfectiori tantum Iudaismi indole multis in locis exponit, v. c. 7, 11. 16., atque de eius abolitione, quod tamen Schulz., sed minus recte, negare conatus est, saepius loquitur, v. c. 7, 12. 18. 29. 8, 7. 10. 13. 10, 1. 8. 12, 27. Unusquisque profecto, qui haec omnia perpenderit, *argumentum epistolae reperiet toto coelo ab argumento epistolarum Paulinarum diversum*, cum tamen eius, quod est in epistolis ipsius, argumenti tangendi largissima saepe esset occasio. Mirabitur insuper lector *διαβολον κρατος θανατου ἐχοντα* (cap. 2, 14.), quem Paulus tanquam mortis causam ignorat, modo volueris conferre 2 Tim. 1, 10. 1 Cor. 15, 55.

§. 50.

Argumentum paucissimis lectorum necessitatibus dicatum.

Scribendi necessitas omnibus omnino apostolis erat haec, ut ecclesias recens fundatas adhortarentur ad constantiam nunquam defatigandam. Hoc enim epistolarum argumentum suadebat temporis, quo vivebant, indoles. Neque igitur miraberis, hoc argumentum inesse quoque epistolae ad Hebraeos 69).

69) Negare hoc epistolae ad Hebraeos argumentum audet Schulz, pag. 99 et 100. sed iniustissimo tamen, ut videtur, modo, sibique ipse contradicens, ut saepius, pag. 69.

Sed praeter istud scribendi consilium in omnibus fere N. T. epistolis repertum, amat Paulus inprimis argumentum tale, quod quam *plurimas ecclesiarum necessitates* respiciat. Exempla in medium vocata rem propositam illustrabunt. Romae, Iuvenali et Persio testibus, Pauli temporibus invaluerat res sacras ridendi eludendique mos, virtutisque ardor extinctus iacebat. Praeterea in coetu Christianorum ibidem collecto rixae ortae erant quam maximae, a Iudaeo-christianis inprimis, qui ritus religionis Mosaicae retinendos esse Christianis affirmabant, excitatae. Exortus insuper erat in ista ecclesia inter ecclesiae presbyteros et diaconos dissensus aliquis. In suspicionem venerat ecclesia, quasi seditionis erga magistratus civiles aleret semina. Omnes has ecclesiae necessitates maxime peculiares tangit Paulus in epistola ad Christianos Romanos scripta. In tota hac epistola ratio habetur eorum, qui Christianis ibidem versantibus ritus legis Mosaicae commendaverant; virtutis frigescentis et reverentiae erga Deum torpescentis novus accenditur ardor; rixae inter presbyteros et diaconos ecclesiae ortae peculiari modo respiciuntur cap. 12, 3. usque ad eiusdem finem [70]); officiorum denique erga magistratus civiles rationem gravissime inculcat cap. 13, 1. sequ. — Idem res ecclesiarum maxime singulares tangendi studium quam maxime conspicuum est in priori ipsius epistola ad Corinthios. Erat nempe, uti omnes scimus, Corinthiorum urbs inter omnes Graeciae urbes, Paulo vivente, celebratissima et mercatorum

70) Fusius de hac re exposui in libro: *Uebersetzung* und *Erklärung der gewöhnlichen Sonn-* und *Festtags-Episteln* und *Evangelien 1 Heft. p. 51* sequ., cum Koppius contra quosdam tantum huius capitis versus hac de re velit interpretari.

§. 51.
Argumentum in rebus religionis altius, idque plane peculiare.

Rectissime monet Schulz. 74), plane singulare esse epistolae ad Hebraeos consilium hoc, ut Christianos, quibus scripta fuerit, ad *τελειοτητα* ducat. Cfr. inprimis cap. 5, 12. usque ad cap. 6, 6. Missa enim est ad ecclesiam, quae diutius iam perceperat (*στοιχεια της αρχης των λογιων του Θεου* et *τον της αρχης του Χριστου λογον*, laudatque auctor haec institutionis initia, *μετανοιαν απο των νεκρων εργων, πιστιν εις Θεον, βαπτισμους, διδαχην* (quae acceperim per Hendiadyn pro: *βαπτισμου διδαχην*), *επιθεσιν χειρων, αναστασιν νεκρων* et *κριμα αιωνιον*. Hinc Hebraeos, ad quos scribit, *φωτισθεντας* appellat, loquiturque de *αισθητηριοις γεγυμνασμενοις*, quibus altiora religionis dogmata possint percipere. Neque tamen ingenii stuporis accusationem in his omnibus repererim, quam Schulz. reperisse sibi videtur. Multo minus ad *τελειοτητα*, quam auctor illustrandam sibi sumsit, omnia retulerim, quae Schulz. loco laudato huc transferre conatur. Indicatur nempe epistolae argumento palmario, quibus in rebus illa *τελειοτης* cernatur, nempe in eo, quod Iesus maior sit Mose et angelis, quippe qui iure suo novum *νομον* promulgare potuerit, quodque sit summus sacerdos isque maiori excellentia praeditus, et quod ipsius mors provinciae sacerdotalis fuerit pars, cum in omni sacrificio oblata necessaria fuerit *αιματεκχυσια*. Eiusmodi institutio sublimior profecto erat vocanda, talisque, qualis ecclesiae Hebraeorum nondum erat impertita. Quodsi cum hoc epistolae ad Hebraeos argumento epistolarum Paulinarum argu-

---

74) Conf. dessen *Erklärung des Briefes an die Hebraeer*, p. 69.

res ecclesiarum singularissimas curat, sed idem apud reliquos quoque apostolos obtinet. Tangit v. c. Iacobus apostolus cap. 2, 2. usque ad comma 13. consuetudinem minus candidam, qua in coetibus Christianorum, quas eius epistola spectabat, publicis praecipue divitum ratio habebatur. — Respicit hinc Iohannes in literis scribendis, nisi veri videndi studio fallor, peculiaria ecclesiae vota cap. 1, 4. [72]). Provocat idem apostolus ad fidem, quae ipsi sit in tradendis religionis dogmatibus habenda, causamque annectit singularem, a rebus ecclesiae peculiaribus desumtam [73]). Causam insuper maxime singularem habuisse videtur, cur ecclesiae amorem mutuum gravissime commendaret falsorumque doctorum mentionem iniiceret. — Toto coelo diversa est in argumento ad scribendum electo epistola ad Hebraeos. Certo quodam consilio a viro cum ecclesia minus coniuncto eandem scriptam esse luculentissime patet ex cap. 2, 1—3. 3, 7. 8. 12. 13. 5, 1. 6, 3. 12, 1 sequ. Neque tamen vides rerum ecclesiae peculiarium in eadem rationem esse habitam, sed Iudaeochristianorum potius tunc temporis viventium in genere, qui de Iesu in promulganda nova religione iuribus dubitarent, quibusque mors Iesu maximo esset offendiculo, quique adeo religionem Christianam deserendi periculo essent quam maxime expositi.

---

72) Etenim verba: *ταυτα γραφομεν, ἱνα ἡ χαρα ὑμων ᾐ πεπληρωμενη*, ita interpretor: *literae nempe a me scriptae vehementius a vobis sunt expectatae.* Sic *χαρα δὲ* coram videndi gaudio legitur comm. 12. Possunt tamen haec verba etiam sic explicari: cum *sciam, quantum vobis gaudium creaturae sint literae a me acceptae.*

73) Ad certam enim ecclesiam hanc epistolam esse scriptam docet Ziegler in diatr. *der erste Brief Iohannis an eine bestimmte Gemeinde geschrieben*, in Henkes *Magazin.* 6. Bd. 2. Stück.

linis strictiorem hunc ordinem in argumento tractato frustra quaesiveris, sed scribendi potius rationem, quae mirum in modum mixta exhibeatur, invenies. Instituendi ratio diversissima est, atque nunc dicendi series abrumpitur, nunc praeter exspectationem continuatur. Adhortationes varii maxime generis in epistolis ipsis occurrunt. Unius verbi usus saepius occasionem prabet fili abrumpendi admonitionumque et solaminum inserendorum. Ut exemplo utar ex epistola ad Romanos desumto; eam Paulus exorditur, non themate sibi ad scribendum sumto, quod reperis in epistola ad Hebraeos, sed dignitatis potius apostolicae mentione iniecta; tumque de ardore, quo flagret, ecclesiam invisendi exponere pergit, cap. 1, 8 sequ., monetque ne de absentia sua male iudicetur, 1, 16. Hinc scribit de virtutis incitamentis, quae hucusque gentiles aeque ac Iudaei habuerint, cap. 2., immixtaeque sunt exprobrationes et dehortationes. Tum docet cap. 3., Iudaeos non potiori loco habendos esse quam gentiles, multaque insuper peculiari modo addit. De viliori legis Mosaicae indole postquam exposuerat cap. 4, 15. 5, 20., insertis multis aliis, addit, mortem Iesu non esse virtutis obstaculum, immo incitamentum. Deserto hoc argumento docet, Christianos non amplius legi Mosaicae adstrictos teneri, monetque, ne quis reperiat in his virtutis neglectum, cap. 8, 7. sequ. Neque tamen et haec strictiori ordine tractantur. Vides hinc admonitionem ad constantiam in religione retinenda plane non expectatam c. 8, 17 sequ.; tum inserit quaedam de tristitia, qua fuerit impletus, quod legem Mosaicam deseruerit, solamenque reperit in Abrahami exemplo, qui Deo fuerit in deliciis, quamvis legi Mosaicae non addictus, additque solaminis loco multa de Dei in recipiendis hominibus voluntate libera, cap.

9, 10., quibus omnibus ordine minus stricto propositis dehortatur, ne hinc quoque eliceretur, quae ad virtutis torporem alendum faceret, excusatio, cap. 11, 11. sequ., multasque addit admonitiones peculiares salutationesque. — In epistola ad Colossenses reperis argumentum non minus mixtum. Initiis enim praemissis, statim defertur ad dignitatem Iesu maiorem explicandam, cap. 1, 13. sequ., adduntur que ab ipso simul virtutis incitamenta, cap. 1, 23. De Christianorum vexationibus sermo est cap. 1, 24 sequ. Ad dignitatem Iesu docendam redit cap. 2, 3. 9. 10., atque occupatur virtutis studio excitando, cap. 2, 11. His absolutis multa tractat de caerimoniarum Iudaicarum vi obstringente abrogata, acceditque, his etiam magnopere interruptis, ad virtutes peculiariores suadendas. Haec omnia qui perpenderis, summo cum iure dixeris in epistola ad Hebraeos *argumentum multo minus esse interruptum mixtumque*, quam in epistolis Paulinis.

§. 53.

De methodo tractandi in epistola ad Hebraeos singulari.

Modus tractandi, qui est in epistola ad Hebraeos, indicatur, et prae caeteris omnibus quaedam praemonentur.

Delineata hucusque est peculiarior epistolae ad Hebraeos conditio *e rebus quibusdam in universum spectatis*, *e scribendi peculiari modo*, atque *ex argumenti tractati singulariori natura*. Iam addenda quaedam sunt de *tractandi methodo*, ex qua non minus singularis eiusdem indoles elucebit. Missis iam iis, quae §. 44 et 45. de finibus dixi, quibus argumentum et argumenti tractatio me-

rite circumscribantur, iam prae caeteris omnibus argumenti tractatio in epistola ad Hebraeos reperta sedulo erit indicanda. Argumentum huius epistolae cum triplex sit agnoscendum, uti vidimus §. 46., *argumentum* scilicet, *quod scribendi ansam praebuerit*, *argumentum palmarium exinde ortum* atque *argumentum occasione data additum*, merito iam mentio est iniicienda, qua ratione unumquodque eorum tractetur, atque colligenda sunt, quae de unoquoque eorum sint in epistola ipsa hic illic sparsa, antequam comparationem huius *methodi in tractando* instituamus.

§. 54.

Modus tractandi in epistolae capite, quod de constantia Christianorum exponit.

Gravioribus, quantum video [76]), vexationibus ecclesia Hebraeorum fuerat hucusque exposita; gravioresque forte imminebant ipsi persecutiones. Describit autem auctor ea, quae haec ecclesia perpessa fuerat, tanquam diu ante facta (ἐν ταις προτερον ἡμεραις), eaque tanquam πολλην ἀθλησιν παθηματων (cap. 10, 32.), quae tamen vitam eorum non attigerint: οὐπω μεχρις αἱματος ἀντικατεστητε, cap. 12, 4. De perpessionibus igitur ecclesiae toleratis luculentissime in epistola sermo est. Imminebant ipsi calamitates haud dubie duriores, id quod, ubi epistolae argumentum admonitionumque huc pertinentium multitudinem atque gravitatem perpenderis, facile concedes. Loquitur enim cap. 6, 6. et 10, 26. de

76) *Tentationes* potius *internas* intelligit Schulz. lectoresque videt, qui fuerint vitae Monachorum addicti, quique hac de causa dicantur μετοχοι του ἐπουρανιου, quorumque praesides nominentur ἡγουμενοι. Cfr. eiusdem *Comment.* p. 60 sequ. Sed liberrime fateor, hanc sententiam niti argumentis minus tutis, quam quae in re graviori profecto poscamus iure nostro.

tempore periculoso, quo Hebraei facillime possint παραπιπτειν, h. e. religionem Christianam derelinquere; et quo possint ἐγκαταλειπειν την ἐπισυναγωγην ἑαυτων 10, 25., h. e. coetum Christianorum deserere, ut supra monui. Defectionem hanc ipsam cap. 3, 12. vocat το ἀποστηναι ἀπο Θεου ζωντος, et cap. 12, 3. καμνειν ταις ψυχαις ἐκλυομενους. Admonitiones vero ad constantiam istam retinendam occurrunt hae: προσεχειν τοις ἀκουσθεισι et βεβαιον εἶναι ἐν λογῳ, cap. 2, 1. 2.; ἀρχην βεβαιαν κατασχειν, 3, 14.; ἐπαγγελιας οὐκ ὑστερηκεναι, cap. 4, 1.; σπουδαζειν εἰςελθειν εἰς καταπαυσιν, 4, 11.; κρατειν της ὁμολογιας, 4, 14; προςερχεσθαι μετα παῤῥησιας τῳ θρονῳ της χαριτος, 4, 16.; ἐνδεικνυσθαι σπουδην ἀχρι τελους, 6, 11.; κρατησαι προκειμενης ἐλπιδος, 6, 18.; ὑπομονην ἐχειν, 10, 36.; δἰ ὑπομονης τρεχειν, 12, 1.; οὐχ ὑστερειν χαριτος 12, 15., et denique πιστευειν. Incitamenta vero huius constantiae sequentia ab apostolo adduntur. Laudatur prae caeteris omnibus Iesu in ista constantia exhibenda exemplum, cap. 2, 18. 4, 15. 5, 7. 8. 3, 2. 12, 2. 6, 12. Adduntur exempla virorum populi Iudaici insignium, qui constantiae et animi audacia fuerint praediti, cap. 11. et Abrahami inprimis exemplum, cap. 6, 3. Dicitur Deus permissis his persecutionibus non iniuste agere, 6, 13., idque hac de causa, quod amatissimis etiam hominibus sustinendas decernat calamitates, 12, 6. 7. 8. 9., quod ex ipsius decreto terrae concussio sit expectanda, 12, 26., quodque has perpessiones Christianorum in brevissimum tantum temporis spatium sit permissurus, 4, 9. 10. 6, 9. 10, 37. 12, 11. Consolatur Christianos porro eo, quod religio Christiana sit ἀγκυρα βεβαια 6, 19. 20., quodque inprimis huius religionis auctor tanta praeditus sit dignitate. Iesum enim eum esse dicit, qui vim mortis fregerit et homines a mortis timore

liberaverit 2, 14: 15., et qui sectatoribus suis largissima possit exhibere praemia, 7, 25. Christianos in mortis periculo versantes consolatur, cap. 13, 14., quod haec vita exitum habeat inevitabilem quodque, etiamsi necem fuerint perpessi, animae certe spem habeant laetissimam 10, 39. Describit Christianos, qui religionem Iesu desererent, tales, qui Iesum iterata vice cruci affigerent, 6, 6. 10, 29. Promittit denique constantiae praemia praecipua, 10, 36. 11, 16. 35. 12, 16. 22. 23. 24. atque inconstantiae 77) poenas duriores minatur, 12, 24. 10, 27.

§. 55.

Modus tractandi in epistolae capite, quod dignitatem Iesu illustrat.

Transeamus hinc ad *thema* epistolae ad Hebraeos *secundum*, quod de *maiori, quae Iesu insit, dignitate exponit*, atque videamus, eadem procedentes via, *qua ratione istud* quoque *thema* in hac epistola *tractetur.* Neque tamen in hac re erit praetermittendum, *hoc thema cum isto, de quo iam egimus, arctissime coniunctum* ipsiusque velut fulcrum primarium esse dicendum. *Memores insuper* in hoc capite diiudicando esse debemus *lectorum, quibus istud thema exponatur, auctorisque, cui debeat originem suam.* Scilicet Iudaica stirpe exortos agnoscis huius epistolae lectores, qui vehementissime amabant Mosem, legis divinae promulgatorem, quique isti legi eo magis favebant,

77) Quae hucusque sedulo et sine omni partium studio collegi, Schulzii sententiam, auctorem eudaimonismo, quem dicunt, favere atque de impiorum interitu loqui, non confirmare videntur. Cfr. eiusdem *commentarius* p. 93 sequ. *itemque* p. 83.

quod e traditione inter ipsos obvia in angelorum conspectu esset sancita, qui denique maiorem Dei internuncium ignorabant, quam sacerdotem ipsorum summum, stirpisque suae insigniores viros veluti adorabant; unde maxima ipsis in eo erat religionis Christianae offensio, quod auctor eius necem perpessus fuerat violentam atque ignominiosam. Poterant haec eo inprimis tempore apud ipsos non plane deleri, quo obnoxii essent persecutionibus gravissimis; amabant praeterea hi Iudaei methodum tractandi in rebus religionis plane singularem, utebanturque, ut ex Philonis libris argumentari fas est, philosophorum tunc temporis viventium, Platonicorum inprimis, sententiis; cfr. §. 10. Auctor epistolae ipse, uti hucusque satis superque vidimus, scribendi generi Alexandrino quam maxime favet, Philonemque tantopere imitatur, ut v. c. totam Philonis de pontifice Iudaeorum summo descriptionem, singula verba exprimens, recipiat, de dignitate Iesu pontificali locuturus. Hic igitur auctor Iudaeo-christianis, qui tunc temporis simillimo modo exacerbari poterant, quo exacerbati sunt quondam ipsorum maiores in deserto vagantes, Iesum ita describit, ut prae caeteris omnibus *maior sit Mose et angelis*, utpote *υἱος του Θεου*, cap. 1, 1. Describit etiam hunc *υἱον του Θεου* (de quo videas cap. 1, 2. §. 29.) *κληρονομον παντων* (cfr. §. 30.) *δἰ οὑ Θεος τους αἰωνας ἐποιησεν* et cap. 1, 3. tanquam *ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρα ὑποστασεως ἀὐτου, φεροντα παντα τῳ ῥηματι της δυναμεως ἀυτου*, quae verba explicata sunt §. 16. et 31. Praestantiam vero ipsius, qua superet angelos, exhibet cap. 1, 4. sequ., laudatis et in usum suum conversis aliquot V. T. locis, de quibus infra dicendi erit occasio. Designatur porro in hac epistola summa Iesu dignitas eo, quod *ediderit in his terris miracula insigniora,*

et quod in coelum susceptus maxima fruatur gloria. Cfr. 1, 3. 8, 1. 2, 4. Summam Iesu dignitatem indicaturus simulque mortis, quod fuerit perpessus, genus mitigaturus, describit ipsum tanquam *sacerdotem Iudaeorum summum*, qui, quanquam non gente Levitica natus, tamen auctoritate gaudeat Melchisedeci eiusque classi sit adscribendus, quique perfectissime sacerdotalibus officiis satisfecerit. Mirum etiam in modum hac de causa eo occupatur, ut et Melchisedeci dignitatem sacerdotalem describat, eamque maxime splendidam, utque doceat, omni ex parte Iesu sacerdotis fuisse maximam excellentiam [78]). Dicit enim, eum fuisse sacerdotem summum a Deo ipso electum, 5, 5; talem, qui ratione meliori potuerit inter Deum hominesque intercedere, 8, 6 sequ. 9, 11 sequ. 10, 11. 13, 12; sacerdotem porro, qui res sacras in templo augustiori curaverit, 3, 3 sequ. 9, 24; talem etiam, qui meliorem obtulerit victimam, 5, 7. 8, 3. 9, 11 sequ. 10, 11. 13, 12; et qui coram altari perfectiori officii rationibus satisfecerit 13, 10. Ipsum porro sacerdotem describit, qui sacra facturus praestantius velum penetraverit, 10, 20.; qui enixius preces fundere potuerit, 4, 14.; qui maiore fuerit in Deum fide, 3, 1.; qui expers fuerit mutationis, 7, 17. 24.; qui non pro suis ipsius peccatis victimam obtulerit, 5, 1 sequ. 7, 26. 27.; cui res sacrae non fuerint repetendae, 7, 27. 9, 25. 10, 11. 12, 6.; qui quum αἱματεκχυσίᾳ ipse non eguerit (9, 22.), lustrationem suo ipsius sanguine effuso peregerit, 1, 3. 2, 17. 9, 14 sequ., et qui officio sacerdotali satisfecerit

78) Ex mente auctoris Iesum non symbolice sed verissime tanquam sacerdotem describi, dicit Schulz. in *Comment. ad hanc epistolam* p. 83. quod tamen inesse epistolae consilio, e quo omnes res Iudaicas in utilitatem rerum Christianarum convertere conetur, plane non video, atque vir doctissimus in aliis locis sibi ipse contradicere videtur.

in civitate mutationis experte, 12, 28. Videmus profecto in his omnibus ingenii acumen atque eruditionem Iudaicam, quae nihil plane intentatum relinqueret, quod moribus sentiendique Iudaeorum rationi esset conveniens reique propositae illustrandae et suadendae posset inservire [79].

§. 56.

Modus tractandi in epistolae capite rebus fortuitis occupato.

Reperimus denique epistolae ad Hebraeos caput velut tertium, quod, ut supra vidimus (§. 46.), dixeris *argumentum ipsius ab occasione pendens et rebus fortuitis dicatum*, occupatum nempe admonitionibus quibusdam peculiarioribus rebusque aliis. Admonitiones ipsae repertae cap. 13. minus cum reliquo epistolae argumento cohaerent, atque commendant nunc amorem mutuum, comm. 1., nunc hospitalitatis officium, comm. 2, nunc auxilia captivis Christianis praestanda comm. 3, nunc coniugii sanctitatem aliasque virtutes. Faciliori modo haec omnia scripta legis, exceptis commatibus 9. usque ad 15.; in quo loco contra doctores falsos imagines suscipit Iudaicas, quibus, quantum video, indicet, doctores falsos ex ecclesia Christiana esse removendos. Salutationum denique et votorum breviorem amat rationem addit que notitiam historicam longe obscuriorem, ut vidimus supra §. 7. —

79) Eodem plane modo indicat Eichhorn *in der Einleitung ins N. T.* 3 Th. 2 Haelfte. Praeterea conferendi hac in re sunt Tittmann. de *notione sacerdotis* in *epistola ad Hebraeos, opuscc.* p. 211; atque Griesbach. in *diss.* supra laudata *de imaginibus* etc. §. 54.

§. 57.

Similitudo in tractandi methodo, si argumentum in genere perpenderis.

Quaestio iam oritur, num iste tractandi modus repertus in epistola ad Hebraeos iure suo peculiarior dici possit. Similitudo aliqua inter epistolae ad Hebraeos auctorem reliquosque N. T. scriptores, si res religionis tractandi methodum spetaveris, a priori, uti dicunt, merito expectari potest. Videmus nempe omnes vere Iudaicae gentis doctores *in tractandis rebus sacris quam maxime inter se conspirare*, eosdemque inprimis omnes eadem *argumentandi ratione* uti, quae scilicet allegorias rerum probationes singulares et laudandi V. T. oracula peculiarem morem amet. Saepius argutias potius dixeris, quae hac ratione proferunt, quam rerum argumenta. Poteris etiam omni cum iure expectare, doctores ecclesiae primos, qui audierant Iesum eiusque apostolos, in docendi methodo sibi fuisse simillimos. Neque igitur miraberis, epistolae etiam ad Hebraeos auctorem in religionis Christianae rebus tractandis multa exhibere, quibus admodum similis sit reliquis apostolis, iis inprimis, qui doctrina Iudaica altiori fuerint imbuti [80]). Exempla aliquot huius similitudinis laudare liceat. Auctor de insigniori Iesu virtute expositurus *praestantiam moralem* urget, v. c. 2, 18. 4, 15. 5, 7. 8. 3, 2. 6, 12. 12, 2. Sed *praestantia* tamen *divina* ipsi maius adhuc pondus habere videtur, id quod omne docet epistolae argumentum, inprimis cap. 1. et 2.

---

80) Molem exemplorum huc pertinentium habet Meyer *in der Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs* p. 371 sequ. itemque in seiner öfter angezogenem *Abhandlung in dem critischen theol. Iournale* p. 225 sequ. Quae pessime exinde concludit, refutavit Schulz. p. 42—47.

Simillimus ipsi est Paulus. Saepissime enim de *exemplo Iesu praestantissimo* exponit, v. c. Rom. 5, 18. Phil. 2, 5. 6. 7. 8. 1 Cor. 2, 16.; saepius tamen apud ipsum sermonem esse dixeris de *virtute Christi divina*, v. c. Rom. 8, 32. 1, 3. 4. Phil. 2, 6—8. Col. 1, 15. 2 Cor. 4, 4. In tractanda summa Iesu dignitate provocat epistolae ad Hebraeos auctor ad argumenta inde petita, quod sit mundi exstructor et conservator. Cfr. 1, 2. 3. Eandem tractandi methodum Paulus habet, Col. 1, 16. 17. De susceptione eius in coelum gloriosissima sermo est Hebr. 1, 3. aliisque in locis, nec minus apud reliquos N. T. scriptores, v. c. Marc. 16, 19. Act. 1, 19. Col. 1, 20. 3, 1. Maioris ipsius dignitatis documenta reperit epistola ad Hebraeos in *miraculis eius*, cap. 2, 4. eademque agnoscunt caeteri N. T. auctores, v. c. Lucas Act. 10, 38., minus tamen, ut agnoscere debes, Paulus, qui apostolicae potius dignitatis signa in miraculis patrandis reperit, v. c. Rom. 15, 29. 2 Cor. 12, 12. Dignitas Iesu splendidior reperitur ex epistolae ad Hebraeos argumentatione in omnibus, quae ad salutem hominum fundandam peregit, cuius etiam argumenti plenissimi sunt libelli Paulini, caeterorumque apostolorum. — Tractat, uti vidimus §. 54., epistola ad Hebraeos fusius caput religionis Christianae de constantia in religione retinenda inconcussa, nec miraberis, pro temporum ratione eadem apud reliquos etiam apostolos saepissime legi, v. c. Iac. 1, 12. 2 Tim. 4, 8. Phil. 2, 5. 1 Petr. 1, 6. simillimamque adeo apud omnes occurrere hac in re tractandi methodum. — Admiscet denique epistolae auctor in eiusdem fine nonnulla, quae dixeris *argumentum occasione data tractatum*. Reperis idem omnium N. T. epistolarum argumentum, adhortationes inprimis easdem. — Praeterea epistolae ad Hebraeos

auctor in tractandis in ipsa tribus potissimum capitibus, quae eiusdem constituunt argumentum, defertur ad peculiares adhuc sententias. Describitur v. c. conditio, quae sit Iudaeorum, tanquam conditio servilis, 2, 15., et tanquam ea, in qua non fuerit τελειοτης. Eandem tractandi methodum maxime amat Paulus, v. c. Gal. 4, 3. Rom. 8, 15. Sermo est in epistola ad Hebraeos de Iesu, qui novissimis temporibus sit αἰτια σωτηριας 5, 8., ἀρχηγος της σωτηριας 2, 10. et ἀρχηγος και σωτηρ 5, 31., atque de νομῳ Iudaeorum hinc abrogando, v. c. 8, 13.; notissimumque est, hoc esse caput epistolarum Paulinarum gravissimum [81]. Ab epistolae nostrae auctore Iesus tanquam μεσιτης describitur, Mosis respectu inprimis habito, v. c. 8, 6. 22. 9, 15., eundemque describendi morem Paulus amat, v. c. Gal. 3, 15. 1 Tim. 2, 5. Col. 1, 20.; προσφορας in hac epistola mentio fit, quam Iesus obtulerit, v. c. 8, 3. 9, 12., et simillima tractandi ratione utitur Paulus Rom. 8, 32. Gal. 1, 3. Eph. 5, 2. 1 Cor. 5, 17. Tota mortis Iesu tractatio, de qua infra dicendi erit occasio, in hac epistola magnam habet disserendi similitudinem cum epistolis Paulinis. Ad Iudaeorum maiores, Abrahamum inprimis, Paulus provocat, reperitque in his exemplis laudandis rerum Christianarum commendationem, v. c. Rom. 4, 1. 9, 7. 8. Gal. 3, 6. 4, 21., eandemque plane tractandi formam habet epistola ad Hebraeos, v. c. 6, 13. 7, 1. atque in toto capite undecimo.

---

81) Negat quidem Schulz. *in Comment. suo* p. 75 et 76, haec epistolae auctorem tractare, eundemque non nisi de meliori Mosaicae legis indole (*von einem bleibendern höhern Iudaismus*) exponere. Neque tamen negari possunt conceptae ipsius in hac re opiniones, studiumque apertissimum, omnia delendi quae possint exhibere huius epistolae similitudinem aliquam cum epistolis Paulinis.

§. 58.

Similitudo in laudandis V. T. oraculis.

Neque tamen, nisi velimus in cupiditatis suspicionem incidere, subsistere licet in his obviae in epistola ad Hebraeos atque in epistolis maxime Paulinis tractandi similitudinis exemplis; transeundum potius est ad simillimam utriusque in locis V. T. laudandis consuetudinem; qua quidem in re cavendum est, ne ex ista quoque similitudine, ut iam monuimus §. antecedenti, maiorem argumentandi vim elicias, quam inde petere fas est. Referta est epistola ad Hebraeos eiusmodi V. T. locis, quae rerum tractatarum praesagia minime continent, sed similitudinem tantum aliquam verborum, e quibus tamen epistolae auctor rerum argumenta elicere conatur. Exempla aliquot haec illustrabunt. Scilicet cap. 1, 5. sequ. laudat plura V. T. loca, eo consilio, ut probet Iesum insigniorem fuisse angelis, divinae voluntatis in promulganda lege Mosaica interpretibus. Neque tamen unus horum locorum ea continet, quae auctor inde elicit, etiam praetermissa obiectione, auctorem data opera silere de *υἱων του Θεου* appellatione, quae angelis in V. T. libris competat, v. c. Iob. 1, 6. 2, 1. 38, 7. Locus ex Ps. 2, 7. laudatus, uti optimi interpretes indicant, v. c. Grotius, Hensler., Knapp., Eichhorn., Paulus, Eckermann., atque Heinrichs., de Salomone templi Hierosolymitani exstructore exponit. Maxime dubium est utrum locus cap. 1, 6. allatus, sumtus sit, e Ps. 97, 7. Neuter tamen horum locorum de re apostolo proposita exponit, ut optimi viderunt interpretes. In loco Ps. 104, 4., qui commate 7. legitur, sine dubio *ἀγγελων* vocabulum est praedicatum, quod vocant, ut, Psalmi totius argumento ducti, iudicant Kimchi, Calvin.,

Michaëlis, Noesselt, Mendelssohn., Knapp., Dathius, Eckermann. aliique plures. Locus commatis 8. et 9., ex Ps. 45, 7. laudatus, non nisi arte dialectica adductus, de re proposita nequaquam agit, quod agnoscunt Grotius, Eckermann. aliique. Locus comm. 9. allegatus, qui legitur Ps. 102, 26. 27., de re longe alia exponit, ut testes sunt Michaelis, Dathius, Mendelssohn., Paulus, Eckermann., Rosenmüller., Knapp., adeoque Storr. Nolo tamen in exemplis huius rei pluribus laudandis commorari, cum optimi quivis interpretes in his locis laudandis agnoscant artem dialecticam.[82]). Attamen non solus epistolae ad Hebraeos auctor hanc artem dialecticam amat; eandem potius in omnibus caeteris N. T. libris, in epistolis inprimis Paulinis, et apud Iudaeos adeo omnes reperimus. Platonem adeo laudaveris quodammodo, qui in rebus philosophiae tractandis se demittere magnopere solebat ad captum huius generis popularem. Unum tantum N. T. exemplum, cum videatur esse maxime illustre, tangere hoc loco licebit. Scilicet locus Mal. 2, 1. tanquam V. T. praesagium laudatur Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 1, 10.; ubi vero hunc locum illustraveris e rebus historicis, quas offert liber Esrae, in toto, quod dicitur, vaticinio Malachiano reperies orationem ab ipso habitam, antequam Esra accederet ad legem Mosaicam populo suo fortius inculcandam. Loquitur in isto loco Malachias de se ipso, tanquam prodromo, intelligitque sub מלאך הברית Esram brevi tempore adventurum [83]).

82) Conf. v. c. Eckermann. *in den theologischen Beiträgen*, 2. Bd. 3. St. pag. 79. et Ziegler *in der Einleitung zum Briefe an die Hebraer.*

83) Fusius de hoc loco exposui in libro: *Uebersetzung und Erklärung der gewöhnlichen Sonn- und Festtags-Episteln und Evangelien*, 1. Hft. p. 146 sequ.

§. 59.

Similitudo epistolae ad Hebraeos in quibusdam aliis artibus dialecticis.

Aliis praeterea *artibus dialecticis* exornata est in epistola ad Hebraeos tractandi methodus, quae magnam habeant similitudinem cum artibus dialecticis saepius in N. T., inprimis apud Paulum, repertis. Cavendum tamen erit in his etiam exemplis exhibendis, ne iisdem ad falsas sententias abripiamur. Callidissimum epistolae ad Hebraeos auctorem dixeris in transferendis iis omnibus ad Iesum, quibus insigniretur summus Iudaeorum sacerdos, atque in maiore Iesu dignitate inde elicienda. Prudentissime, ut vidimus, rem suam agit in Melchisedeci exemplo laudando atque exornando, et plura alia profert, e quibus agnoscere possis, eum artis dialecticae fuisse peritissimum. Eandem vero in argumentis exhibendis peritiam Iudaicam saepius in N. T. libris videmus, eamque non solum apud Paulum, sed etiam apud Iesum ipsum reliquosque ipsius apostolos; tenueris tamen, quo magis hic vel ille apostolorum his artibus fuerit adsuetus, eo magis ipsum iisdem fuisse usum. Quod ad Iesum quidem attinet, reperimus ipsum summae veritatis vestigia premere, coram populo et discipulis verba facientem, estque hac in re admiratione profecto maxima dignus. Sed ubi ipsi res erat cum viris populi sui in arte dialectica exercitatissimis, eandem artem felicissimo cum successu adhibet, uti doceri potest ex ipsius colloquiis cum viris populi sui doctioribus institutis. Disputat v. c. Luc. 11, 15. contra viros Iudaeorum doctos, atque, in quo recte iudicat Kuinoel. in *pericopis evangg.* T. I. p. 176 et 180., *καθ' ἄνθρωπον* ita disserit, ut adversarios arti dialecticae adsuetos ad silentium redigat. Col-

loquium, quod ipsi est cum Nicodemo, ipsum haud dubie tentaturo, (Ioh. 3, 1 sequ.), quantum video, arte dialectica, quam Iudaei magnopere amabant, plenissimum est, quippe quo nunc ad proselytarum, quos vocant, baptismum alludatur, nunc ad usum loquendi Iudaeorum in vocabulo *γεννηθηναι*, nunc ad sententias Iudaeorum de *πνευματι*, quod in rebus maioris momenti poscatur. Pergit ipse Nicodemus in allegoria a Iesu recepta commate 4., videsque in toto colloquio Iudaeorum more plurima abrupte et *αἰνιγματικως* veluti proposita. Nec dissimilis plane est ars dialectica in epistolis Paulinis conspicua. Miraberis profecto artem dialecticam, tunc temporis solemnem, Rom. 6, 3. sequ. et in mille aliis locis. Exemplum unum tantum tangam, quod est Rom. 8, 18. sequ. Consolatur apostolus hoc in loco Christianos asperrimis fatis, quae ipsis sint sustinenda, pressos, atque utitur imagine a liberis recens natis, quibus multa perferenda sint; desumta, eoque procedit, ut dicat, liberos adeo primogenitos his fatis esse obnoxios. Iam ipsius animo insidet usus loquendi Iudaicus, e quo discipuli dicebantur *υἱοι*, et ex *υἱοις* recens natis concludit ad Christianos lectos, ex *υἱοις πρωτοτοκοις* ad apostolos non minus vitae aerumnis quam maxime pressos, atque in eadem allegoria pergens *πασαν κτισιν* christianos recens lectos vocat. Allegoriae veluti nube involutus haec dicere vult: *constanter sustinete, quae omnes Christiani, apostoli adeo, sustinent*[84]). Simillimam artem dialecticam Iohannes ipse, qui scribendi genus minus artificiosum amat, ostendit, Evang. 5, 8. Sed exempla haec sufficiant ad illu-

84) Corruunt, si ista sumseris, huius loci, qui crux fuit interpretum, explicationes maxime singulares, quas Nibbe *in diss. de creatura ingemiscente*, Lips. 1751. Noesselt. in Opusc. p. 101 sequ. et multi alii protulerunt.

stranda artis Iudaicae documenta pariter in epistola ad Hebraeos atque in aliis N. T. locis reperta, et lubentissime quidem Z i e g l e r i subscribo iudicio [85], eminere in hac Iudaeorum arte inter N. T. scriptores omnium maxime nostrae epistolae auctorem, ipsique profecto eruditionem hellenisticam fuisse summam.

§. 60.

In modo tractandi maxime peculiaris ratio.

a) *in laudandis V. T. oraculis.*

Ne cupiditate tractus esse videar, lubentissime concessi hucusque omnia, quae in hac tractatione negari non poterant. Sed nihilominus tamen contenderim, *tractandi* etiam *methodo* in epistola ad Hebraeos *rationem inesse maxime peculiarem*, quae adhuc erit illustranda. Referenda huc est prae caeteris omnibus *loca V. T. laudandi singularis ratio* [86]. In his locis excitandis utitur e p i s t o l a e a u c t o r plerumque formulis: *λεγει το πνευμα*, *μαρτυρει το πνευμα άγιον*, etiam *ἐιρηκε*, *φησι*; P a u l u s contra formulis: *γεγραπται*, *ἐγραφη*, *ἡ γραφη λεγει*, *κατα το γεγραμμενον*, *καθως γεγραπται*. Praeterea V. T. praesagia laudantur in hac nostra epistola plerumque verbis iisdem, quae sunt apud A l e x a n d r i n o s [87]. Procedit auctor in ista Alexandrinorum imitatione usque eo, ut cap. 10, 5. recipiat

---

85) Vid. *dessen Einleitung in den Brief an die Hebräer*, p. 151.

86) Laetor, S c h u l z i u m eadem reperisse in *Comment.* p. 121 et 122.

87) Agnoscunt hunc auctoris ritum peculiarem G r o t i u s, C a r p z o v., H o t t i n g e r., E i c h h o r n., S c h m i d t., H e n k i u s in *diss. de usu LXX interpretum in N. T.* (edita 1775.) cap. 2. aliique.

Alexandrinorum versionem scribendi errore corruptam, qua hebr. אזנים translatum est σωμα, cum esse deberet ὠτια. In paucissimis tantum locis hanc versionem, idque in verbis nonnisi minutissimis, mutat. Etenim Hebr. 1, 7. sunt verba: πυρος φλογα, cum Alexandrini interpretes habeant πυρ φλεγον; 1, 8. εις τον αἰωνα του αἰωνος, pro Alexandrinorum εἰς αἰωνα αἰωνος; 2, 12. ἐπαγγελλω pro διηγησομαι, et 12, 26. verba inserta sunt οὐ μονον et ἀλλα. Annotat vero Hottinger. in *thesauro phil.* 1, 3, 3. 11. p. 233. hanc excitandi V. T. vaticinia ex LXX. interpretibus consuetudinem exortam esse ex lectorum huic versioni adsuetorum indole, atque Grotius contendit, auctorem reperisse in hac inductionis forma *mystici usus auxilia.* Philonem eodem plane modo versari in laudandis V. T. locis, exemplis confirmavit Carpzov. *in Exerc. Philon. libro.* 2. *cap.* 3. Magnopere imitatur epistolae auctorem Lucas, qui, quod saepius hucusque vidimus, dictionis ratione habita ipsi est simillimus, Act. 1, 16. 2, 20. 4, 25. 26. 7, 3. 8, 32. 36. 13, 34. 38. 47. 15, 16. 17. 23, 5. Quod ad Paulum attinet, in excitandis V. T. locis saepe utitur licentia quam maxima, ut Eph. 4, 8. Verba nunc habet *textus hebraici*, ut Rom. 1, 17. 14, 11. 1 Cor. 2, 9. 14, 21., nunc Alexandrinorum, ut Rom. 3, 4. 12. 4, 3. 9, 26. 11, 4. 15, 3. 4. 10. 11. 12. 21. 1 Cor. 1, 29. 15, 45. 54. 55. 2 Cor. 6, 16. Eph. 5, 31. 1 Tim. 6, 18. Neque etiam in verbis Alexandrinorum excitandis anxius esse solet, quod illustrat v. c. Rom. 14, 11. et 1 Cor. 1, 19. Verba Alexandrinorum recipere videtur, ubi eadem ipsius consilio magis inservire perspiceret. Petrus denique retinet verborum textus hebraici aliam versionem. Liberrime vero in hac re versatur v. c. 1 Petr. 2, 6., atque praefert Alexandrinorum ver-

sionem 1 Petr. 1, 26. Videmus igitur tractandi methodum auctoris iam in his a Paulina inprimis magnopere diversam.

§. 61.

b) *in tractando epistolae capite, quod de summa Iesu virtute exponit.*

Transeamus iam ad epistolae nostrae caput, quod de *maiori Iesu excellentia* exponit, perpensuri, *quid in ipsius tractandi methodo maxime sit peculiare.* In describendo *υἱῳ του Θεου* auctoris nostri animo sublimem eius naturam, Paulo vero magis munus eiusdem messianum obversari, supra vidimus §. 29.— De *Λογῳ* tanquam mundi totius exstructore multa vides apud Philonem *in libro de mundi aedificio*, retinetque *Λογου* ipsius denominationem Iohannes, de eadem re expositurus, Evang. 1, 1. [88]). Epistolae nostrae auctor non minus quam Paulus amat *υἱου του Θεου* appellationem, sed ille tamen cum Iohanne in re ipsa tractanda Philonis premit inprimis vestigia. Cfr. Hebr. 1, 2. Coloss. 1, 15. Ioh. 1, 3. Verum hoc monendum putes, Paulum adhuc addere descriptionem uberiorem *πρωτοτοκου της κτισεως*, eumque differre hac in re ab epistolae nostrae auctore. Addit vero etiam epistolae auctor descriptionem de cura mundi totius, quae competat *υἱῳ του Θεου* tanquam *κληρονομῳ των παντων.* — De *υἱῳ του Θεου* mundi conservatore epistola ad Hebraeos 1, 3. fusius et distinctius exponit, quam Paulus. Paulus enim non nisi habet verba obscuriora atque dubia, Col. 1, 17. *παντα ἐν αὐτῳ συνεστηκεν*, et Eph. 1, 22. *παντα ὑπεταξεν ὑπο τους ποδας αὐτου.*

---

88) Differre adhuc λογον Iohanneum a λογῳ Philonis docuit Carpzov. *Exercitt. Philon. libro* 7, cap. 8.

Epistolae ad Hebraeos auctor 1, 3. explicandi causa addit: *φερων τα παντα τῳ ῥηματι της δυναμεως αὐτου*, monetque etiam *υἱον του Θεου* in mundo conservando esse *ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρα της ὑποστασεως Θεου*, de quorum verborum explicatione supra exposuimus §. 16. et 32.. Praeterea etiam Paulus mundi conservandi partes Messiae tribuere videtur praemii loco ob res bene in his terris gestas accepti, Phil. 2, 9. 10. Eph. 1, 22. 23, cum epistolae auctor de hac *υἱου του Θεου* dignitate tanquam de re exponat, quae ipsius operi salutari praecesserit, 1, 3. — Provocat epistola nostra cap. 2, 4. ad *σημεια τε και τερατα*, quae Iesus ediderit, et ad *ποικιλας δυναμεις και πνευματος ἁγιου μερισμους* tanquam ad religionis divinae a Iesu promulgatae insigniores testes Iesuque ipsius insigniora facinora, cap. 2, 3. 4. Paulus, ut supra vidimus, hoc argumento utitur in auctoritate apostolica munienda, v. c. Rom. 15, 19. 2 Cor. 12, 12. 2 Thess. 2, 9. Lucas Act. 10, 38. hoc argumento utitur quidem, sed longe alia, quam noster, ratione, si modum tractandi et verba usurpata respexeris. — Respicit epistolae ad Hebraeos auctor in auctoritate Iesu maiori ostendenda ad ipsius *μεγαλωσυνην ἐν ὑψηλοις ἐν δεξιᾳ του Θεου*, cap. 1, 3. multisque aliis in locis. Quanquam in hac re epistolae auctor Paulo sit simillimus, utitur tamen verbis plerumque aliis omittitque insuper plura, quae Paulus tanquam res describit cum hac in coelos evectione coniunctissimas, v. c. iudicii extremi instituendi partes ipsi a Deo concessas, mortuorum excitationem ipsius vi peragendam reditumque ipsius gloriosum [89]. Videtur denique

89) Eadem notavit Schulz. *in Comment.* p. 95 sequ. Neque tamen video, quomodo huc referre potuerit Iesu ipsius e sepulcro excitationem, de qua luculenter sermo est Hebr. 13, 20.

Paulus Iesum describere talem, qui omnibus, quae Deus ipsi demandaverit, peractis, *βασιλειαν τῳ Θεῳ* sit redditurus, 1 Cor. 15, 24., ipsique obedientiam praestiturus, comm. 28. Ad Hebraeos epistola vero de partibus his ab ipso retinendis exponit, v. c. cap. 2, 8. sequ. 7, 24. 90). — Placuit vehementer Iudaeis cogitare de angelis occupatissimis inprimis in promulgatione legis Mosaicae. Cfr. de hac re Act. 7, 38. atque interpretes ad h. l., maxime Schoettgen. atque Krebsium in Obss. Flavv. Insigniori loco hi angeli a Iudaeis habebantur atque coniuncti cum Deo vocantur אלהים 91). A *Philone* vocantur *λογοι Θεου*, v. c. in *ipsius libro de migrat. Abrah.* p. 415., et *εἰκόνες ϑεου*, v. c. in *libro de somniis* p. 600. Arripit hanc angelorum excellentiorem provinciam eorumque in lege Mosaica promulganda, quae credebatur fuisse, auctoritatem epistolae nostrae auctor, ut dignitatem illustret Iesu Messiae. Cfr. §. 10. et Tittmanni *Comment.* de *comparatione Christi cum angelis* in *epistola* ad *Hebraeos*, quae inest eiusdem Opuscc. p. 231 sequ. Paulum si spectas, angeli quidem tanquam voluntatis divinae in promulganda lege Mosaica interpretes more Iudaico ab ipso quoque describuntur Gal. 3, 19. At vero praeter epistolam ad Hebraeos in nullo N. T. loco maior Iesu dignitas cum dignitate angelorum comparatur. — Maiori Iesu virtute ostendenda dum occupatur epistolae nostrae auctor, ut vidimus §. 10. et inprimis §. 55., copiosior est *in dignitate Iudaeorum sacerdotali ipsi adiudicanda.* Habemus profecto apud

90) Simillimo modo haec reperit Schulz. *in comment.* p. 116.

91) Conf. Schott. *in Comment. qua notio cognationis Dei hominumque in libro Geneseos explicatur*, et Stahl *in dem Versuche eines systematischen Lehrbegriffs Philo's, in der Bibl. der bibl. Lit.* 4, 5.

Paulum etiam imagines permultas e rebus Iudaeorum sacris petitas, v. c. θυσιαν, δικαιωμα, ἱλαστηριον, ἀπολυτρωσιν atque alia, neque tamen, si epistolam nostram exceperis, ullum N. T. locum, in quo Iesus de industria cum Iudaeorum summo pontifice compareter, ipsiusque inprimis dignitas exinde probetur 92). — Praeterea alia adhuc sunt, quibus Paulus in declaranda Iesu dignitate summa utatur, quae tamen sint ab epistolae nostrae argumento hac in re occupatissimo plane aliena. Etenim, ut exemplis aliquot utar, delineatur, quae insit Iesu, dignitas summa apud Paulum, eo, quod dicitur κεφαλη της ἐκκλησιας, cui permissa sit cura eiusdem duratura. Audiantur loci Col. 1, 18. 1 Cor. 12, 1. Rom. 8, 34. aliique. Silet vero de ista Iesu dignitate Hebraeorum epistola, argumentis inprimis in hac re Iudaicis nixa. — Apostoli fere omnes, ubi disputant cum Iudaeis, quibus offendiculo erat mors Iesu, quique hac morte ipsius violenta detinebantur a summa reverentia ipsi exhibenda, ad innocentiam ipsius provocant atque ex instituto tractant famae defensionem, quam Deus ipsi fuerit largitus. Cfr. Act. 2, 22. sequ. 3, 12. sequ. 4, 10. sequ. Agit epistolae auctor defensionem mortis Iesu, qua non possit minui ipsius dignitas summa, longe alio modo, hoc nempe, quod sanguis ipsius necessario fluxerit explendis sacerdotii rationibus. Attamen cum rerum argumenta non numerentur, sed ponderentur, haec tractasse sufficiat.

---

92) Alio modo hanc sacerdotis summi imaginem, qua auctor mortem violentam Iesu excusare, ipsumque Iudaicae gentis ecclesiae κατ' ἀνθρωπον commendare conatur, intellexisse videtur Tittmannus, nostris ereptus, in Diss. *de notione sacerdotis in epistola ad Hebraeos*, quae ineat *ipsius Opusculis* pag. 211 sequ.

§. 62.

c) *in tractando capite de constantia Christianis commendanda, et in argumento ab occasione pendente.*

Exposui supra (§. 54.) de Hebraeorum, ad quos est epistola, vexationibus, simulque de methodo tractandi, quam adhibitam reperimus ab eius auctore in constantia ipsis commendanda. Iamque mea interest tractandi methodum Pauli in eadem re solemnem perlustrare. Scilicet de Christianorum calamitatibus durioribus in libellis Paulinis minime sermo esse videtur, de vexationibus potius minoribus religionis Christianae causa toleratis. Afflictationes istas insignit appellationibus variis, iisque a denominationibus, quibus utitur epistolae ad Hebraeos auctor, magnopere diversis. Omnium maxime θλιψεις Paulo vocantur, Rom. 5, 3. 2 Cor. 1, 4. 4, 8. 17. 8, 2. 2 Thess. 1, 6.; praeterea θλιψεις και στενοχωριαι Rom. 2, 9.; θλιψεις και ἀναγκαι και στενοχωριαι 2 Cor. 6, 4.; παθηματα 2 Cor. 1, 6.; παθηματα δια του Χριστου 2 Cor. 1, 5.; παθηματα του νυν καιρου Rom. 8, 18.; ἡμεραι πονηραι Ephes. 5, 16.; ἀναγκη 1 Cor. 7, 26. 2 Cor. 6, 4.; πειρασμος 1 Cor. 10, 13.; καταπαθειν 2 Tim. 2, 19.; δοκιμαζεσθαι 1 Thess. 2, 4. Describuntur vero ab ipso hae calamitates tanquam machinationes diabolorum, Ephes. 6, 12. 2 Thess. 3, 3. Constantia in his vexationibus ostendenda describitur ab eodem his verbis: στηναι 1 Cor. 15, 1. Eph. 6, 13.; στηναι ἐν πιστει 1 Cor. 16, 13. 24.; ἀντιστηναι Eph. 6, 13.; θαῤῥειν 2 Cor. 5, 6.; ὑπομονην ἐχειν Rom. 8, 25; βεβαιον εἰναι 2 Cor. 1, 8.; οὐ πιπτειν 1 Cor. 10, 13.; οὐκ ἐξαπορεισθαι 2 Cor. 4, 8.; ἐνδυναμουσθαι ἐν

κυριῳ Eph. 6, 10.; ἀγωνιζεσθαι καλον ἀγωνα 1 Tim. 6, 12. 2 Tim. 2, 5. 4, 7. et ἐνδυσασθαι πανοπλιαν του Θεου Eph. 6, 13. Excitationes denique ad hanc constantiam adduntur ab eodem Paulo variae, scilicet *ab exemplo Iesu* desumtae, Phil. 2, 5. 8. 1 Tim. 6, 13. 1 Thess. 2, 14. 2 Thess. 3, 15. 2 Cor. 4, 7.; *e vi perpessionum morali* depromtae Rom. 5, 3. 8, 28. et exemplo adeo caeterorum inter Christianos apostolorum nixae, Rom. 8, 19. 23. Ephes. 5, 16. 2 Cor. 1, 8. 11, 23. Ephes. 4, 1. Phil. 1, 13. Depromit insuper consolandi auxilia nunc e calamitatum minori noxa (Rom. 7, 18.), nunc e certo Dei adiumento (1 Cor. 10, 13. 2 Cor. 1, 4. Phil. 5, 16. 2 Thess. 3, 3.), nunc e religionis Christianae indole praestantissima (Rom. 8, 37. 2 Tim. 1, 3.), nunc e perpessionum praemiis expectandis (2 Cor. 1, 5. 4, 17. 18. Phil. 2, 12. 2 Thess. 1, 7. 10. 1 Tim. 6, 12. 2 Tim. 2, 11. 4, 8. 18. Tit. 3, 13.). Videbis, si supra dicta conferre volueris, in his quoque epistolae ad Hebraeos cum epistolis Paulinis una ex parte similitudinem, cuius causae facillime possunt indicari, ex altera vero etiam dissimilitudinem satis luculentam. — Quod denique attinet *argumentum epistolae ad Hebraeos occasione oblata pertractatum*, tractandi hoc argumentum methodus in rebus perquam multis omnibus N. T. epistolis atque hinc etiam Paulinis est maxime solemnis. Attamen excitationes virtutis vides peculiaribus verbis expressas, imaginum adeo umbris involutas, ut cap. 13, 10. sequ. Et praeterea memineris ex antecedentibus salutationum ad ecclesiae doctores ecclesiae ipsi demandatarum cap. 13, 24. In memoriam revoces appellationem doctorum ecclesiae singulariorem cap. 13, 7. 24. atque etiam in voto addito, quod reperitur 13, 25., peculiariorem

rationem, aliasque res, quarum mentionem in antecedentibus fecimus. In his igitur etiam tractandi modus, in hac epistola obvius, reperitur plane singularis.

§. 65.

Tractandi methodus peculiaris in rebus ad mortem Iesu spectantibus conspicua.

Praetermissis iam aliis, e quibus peculiaris huius epistolae indoles in tractandi modo possit edoceri, progredior iam ad rem, quae maioris videbatur esse momenti, minime curans iudicii acrioris, quod possit de me in hac re ferri, vim, cum haec tractanda sumserim animo amoris in Iesum plenissimo cumque insuper non de efficacia mortis Iesu exponendi mihi sit consilium, nec de Iesu ipsius in hac re effatis gravissimis et luculentissimis, sed de his tantum, quae quisque Iesu apostolorum, mortem Iesu vel tangens vel tractans, habeat peculiaria, idque ea inprimis de causa, ut appareat, in hac etiam re ad Hebraeos epistolam posse quodammodo *dici peculiarem*. Hinc etiam, quae ad theologiam dogmaticam pertinent, praeteriturus aliisque permissurus [93]) non nisi de iis exponam, quae quisque apostolorum in hac re protulerit. —

---

93) Qui res in hac re dogmaticas voluerit cognoscere a consilio tractationis nostrae remotissimas adeat v. c. quae scripserunt Staeudlin. *über den Zweck des Todes Iesu, in der Göttingschen Bibl.* II Bd. 4. 5. 6. 7. und 11. Stück, de Wette *in Commentat. de morte Christi expiatoria.* Ammon *in der Bibl. Theologie*, aliique complures, quos omnes recensere minime fas est.

Loquitur Iudas apostolus de Christianis (κλητοις) qui sint ἐν Θεῳ πατρι ἡγιασμενοι και Ἰησου Χριστῳ τετηρημενοι h. e. qui Iesu duce et custode sint peculiaris ipsius societas (commate 1.), cui merito in re divina comparanda certamen sit ineundum (comm. 3.) et quae conservari debeat ἐν ἀγαπῃ του Θεου, προςδεχομενοι το ἐλεος του κυριου Ἰησου Χριστου εἰς ζωην αἰωνιον (commate 21.). Luculenter igitur ab apostolo exponitur de salute Christianorum aeterna per Iesum obtinenda, neque tamen ratio ipsa explicatur, qua το ἐλεος εἰς ζωην αἰωνιον per Iesum sint assecuturi. —

Iacobus apostolus profitetur, se esse δουλον Ἰησου Χριστου 1, 1.; ipsius Iesu exemplum imitatione dignissimum esse, refert 5, 11.; mortis tamen Iesu nullibi mentionem iniicit, nec inde Christianorum δικαιωμα repetit. Monet adeo, ne quis δια πιστεως aliquod δικαιωμα consequi posse sibi persuadeat, cum hoc δικαιωμα non nisi virtutis ardentissimo studio obtineri possit. Notissimum est, istam Iacobi epistolam eiusdem argumenti causa a Luthero dictam fuisse *stramineam*, nec inhaerendum iam esse videtur causis peculiaribus, quibus ductus apostolus hunc tractandi modum selegerit. —

Petrus apostolus Iesu mentionem iniicit του παθοντος ὑπερ ἡμων ἐν σαρκι (cap. 4, 1.) dicitque cap. 3, 18.: Χριστος περι ἁμαρτιων ἐπαθεν, et cap. 2, 24. 25.: ἁμαρτιας ἡμων ἀνηνεγκεν ἐν τῳ σωματι αὐτου. Utitur etiam formula: λυτρουσθαι δια του Χριστου τιμιῳ αἱματι 1, 18. 19. Caute tamen agendum esse videtur, ne apostolo his formulis utenti obtrudamus, quae non ex ipsius epistolis sa-

tis luculenter possint edoceri. Apertissime quidem adhibet imagines atque vocabula e re Iudaeorum sacrificali petita. Sed constat, apostolos imaginibus his ad tractandum receptis consilio saepius uti maxime dissimili, eosque ipsos ex locis epistolarum ipsorum aliis esse explicandos. Perpendendum igitur profecto erit, num apostolus verbis, quae addat illis formulis: *ἱνα ἡμας προσαγαγῃ τῳ Θεῳ, ἱνα ταις ἁμαρτιαις ἀπογενομενοι τῃ δικαιοσύνῃ ζησωμεν* et *ἐκ της ματαιας στροφης*, largiatur quaedam ipsum interpretandi indicia. *Δικαιωμα* e morte Iesu petendum aperte describit, aliud vero esse, atque in re Iudaeorum sacrificali, et praeterea minus artificiosum, nemo negabit. Cautius igitur erit explorandum, qua ratione apostolus in hac re fuerit versatus et quam *δικαιωματος* vim in rebus Christianorum expectaverit, utrum abolendi, an vim moralem. Haec tamen fusius pertractandi non incumbere mihi videtur negotium.

Iohannes apostolus luculentissime exponit I. 1, 7. *περι αἱματος Χριστου, ὁ καθαριζει ἡμας ἀπο της ἁμαρτιας*. Sed meliores fere omnes interpretes docent ex tota orationis serie, *καθαρισμον*, de quo loquatur, esse *καθαρισμον* moralem. Describitur apud eundem apostolum Iesus (cap. 2, 1.) tanquam *ἁμαρτανοντων παρακλητος προς τον Θεον* et (cap. 2, 2.) tanquam is, qui *ἐστιν ἱλασμος περι των ἁμαρτιων ἡμων*, neutiquam vero is, qui morte sua hoc ius fuerit consecutus. Addatur 1 Ioh. 4, 10. Comparaturi hac in re iudicium, quod idem apostolus de Iesu in evangelio suo cap. 1. tulerit, legimus descriptiones eiusdem has: *ἠν το φως το ἀληθινον*,

ὁ φωτιζει παντα ἀνθρωπον (com. 9.); ἐδωκεν ἐξουσιαν τεκνα Θεου γενεσθαι (com. 12.); ἐκ του πληρωματος αὐτου ἡμεις παντες ἐλαβομεν χαριν ἀντι χαριτος: (com. 16.). Sunt igitur apud Iohannem quoque in describendo Iesu formulae sacrificales, quamvis pauciores, et formulae insuper sacrificales minus exquisitae.

Multo artificiosius vim sacrificalem mortis Iesu tractat Paulus apostolus in epistolis suis. Saepissime de Iesu morte loquitur apostolus in omnibus suis epistolis. Δικαιωμα Christianorum repetit partim e morte Iesu, v. c. Rom. 5, 8. 10. 11. 19. 2 Cor. 5, 18. 19., partim ex amore erga Iesum eiusque religionem alendo, Rom. 3, 22. 28. 5, 1. 2. Ex his igitur patet, eum assignare hoc δικαιωμα non morti Iesu soli. Praeterea in morte Iesu non δικαιωμα solum reperit, sed virtutis etiam peculiare excitamentum, v. c. Rom. 6, 3. Ephes. 2, 5., et singularem legis Mosaicae abrogandae vim, v. c. Rom. 7, 4. 1 Cor. 1, 30. Gal. 3, 13. 4, 4. De ultimo hoc mortis Iesu peculiari consilio exponunt quoque Matthaeus 26, 28. Marcus 14, 24. Lucas 22, 10. — Paulus δικαιωματος vim ex morte Iesu repetens luculentius porro dicit, hoc δικαιωμα, quod mors Iesu exhibeat, esse a Deo ipso quam maxime desideratum, Rom. 3, 25. 2 Cor. 5, 21. Ephes. 1, 3. — Designat Iesum etiam tanquam hostiam sese offerentem, Ephes. 2, 16. Tit. 2, 14., et tanquam hostiam ipsam Deo oblatam Ephes. 5, 2. — Hostiam porro ipsam, quam Iesus obtulerit, reperit ἐν τῳ αὐτου σωματι Ephes. 2, 16., praecipue vero in ipsius αἱματι Ephes. 2, 13. Rom. 3, 25. Col. 1, 14. — Designatione Iesu sacrificali uti pergens dicit, Iesum *victimam obtu-*

lisse ἐν τῷ ξυλῳ Gal. 3, 13. et ἐν τῷ σταυρῷ Rom. 5, 12. Explicanda inde est formula κενουν τον σταυρον Χριστου 1 Cor. 1, 17. — Victimam, quam Iesus obtulerit, porro descripturus et eius δικαιώμα in genere explicaturus, utitur formulis: ἀπεθανε ὑπερ ἡμων Rom. 8, 32. Gal. 2, 22. Tit. 2, 4., et ὑπερ των ἁμαρτιων Rom. 5, 6. 2 Cor. 5, 20. Gal. 1, 5. — Neque tamen in hac descriptione generaliori subsistit, sed usurpat quoque formulas in victimis Iudaeorum expiatoriis solemnes: εἰς το καταλλασσειν, εἰς ἀποκαταλλασσειν, εἰς ἀπολυτρωσιν, εἰς το δικαιουσθαι, εἰς δικαιοσυνην, εἰς το ἀφιεναι τας ἁμαρτιας, εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων, εἰς το ἐχειν εἰρηνην μετα του Θεου. Cfr. Rom. 5, 20. 2 Cor. 5, 20. Col. 1, 20. Ephes. 1, 7. 1 Cor. 1, 30. Rom. 3, 24. 11, 24. 5, 15. 1, 7. 2, 21. 25. 5, 18. 8, 4. 9, 30. 2 Cor. 5, 21. Rom. 5, 1. Col. 1, 14. 2, 13. Utitur in re eadem describenda *syngraphae laceratae* imagine Col. 2, 14., et synonymice addit πλουτον της χαριτος Eph. 1, 7. — Erat profecto, cum istae formulae e re Iudaeorum sacrificali desumtae poenarum civilium remissionem indicarent, accuratius definiendum, quae peccatorum remissio Christianis expectari debeat. Sed in ista rerum Leviticarum ad res Christianorum applicatione fusius non versatur. Apostolus enim sermonem tantum facit de peccatis ἡμων remissis, v. c. Gal. 1, 5. 2 Cor. 5, 21. Atque etiam, qui sint illi ἡμεις, accuratius definit. Etenim nunc intelligit ἁμαρτηματα προγεγονοτα Rom. 3, 25., nunc peccata προγεγονοτα Iudaeorum Rom. 11, 24., nunc peccata in genere. — Praeterea etiam apostolus καταλλαγην vario modo explicare videtur. Nam sub eadem nunc intelligit *favorem Dei*, qui hominibus impertiatur, v. c.

Rom. 5, 1., nunc *peccatorum remissionem* huius favoris signum, Col. 1, 14., nunc *reconciliationem* hominum cum Deo, seu amorem ipsorum in Deum, v. c. Rom. 5, 10. 2 Cor. 5, 20. — Sunt profecto theologis haec diligentius perpendenda, ut eo firmius ab ipsis exstruatur in hac re aedificium [94].

His omnibus rite praemissis transire lubet ad mortis Iesu designationem, quae reperitur in Hebraeorum epistola. *θανατον*, quem Iesus perpessus fuerit, mentionem rarius, atque crucis plane nullam in hac epistola factam reperis, quippe quae Iudaeis maximo essent offendiculo, uti vidimus §. 10. *Δικαιωμα*, quod Iesus morte sua comparaverit, saepissime in eadem memoratum leginus, neque tamen *δικαιωμα*, quod suscipiatur amore in Iesum sincero. Quamvis enim in eadem saepius sermo sit de amore in Iesum, qui inprimis in religione ipsius retinenda sit conspicuus, nullibi tamen ipsi *δικαιωματος* paratio adscribitur, uti est in libellis Paulinis. — Reperit huius quoque epistolae auctor in morte Iesu non solum *δικαιωμα*, v. c. 10, 12. 18., sed virtutis etiam excitandae auxilium, v. c. 9, 14. 15. 26. 28. De mortis consilio, quod occupetur in lege Mosaica abroganda, nihil refert. Praeterea duplex affert effusi sanguinis mortisque consilium, alterum, ut *sanciat* sanguine *novum foedus* Christianorum, 10, 26. 13, 20., alterum, ut morte, quam fuerit perpessus, *καταργηση τον το κρατος θανατου ἐχοντα, τουτ᾽ εστι τον διαβολον*, cap. 2, 14. — Nullibi iniicit mentionem Dei,

94) Multa hac in re collegit, sed minus diligenter, ut video, Meyer *in der Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs* p. 131 sequ.

qui δικαιωμα hominum a morte Iesu repetendum decreverit. — Iesum non tam ut hostiam sese offerentem describit, sed ut *sacerdotem* potius *summum*, *qui victimam obtulerit perfectissimam*, et qui fuerit pontifex summus, omnibus numeris absolutus, isque classi sacerdotum Melchisedeci adscribendus, v. c. 2, 6. 4, 4. 7, 1. — Quod ad θυσιαν ipsam attinet a Iesu oblatam, éa quidem e more Paulino ab ipso describitur tanquam θυσια σωματος, 10, 10., et tanquam θυσια αἱματος, 9, 12. 10, 19. 13, 12. Sed praeterea etiam mentionem facit aliarum adhuc victimarum, victimae nempe, quam obtulerit δια δεησεις και ἱκετηριας 5, 7., et quam praebuerit, quum sanguine effuso δια πνευματος αἰωνιου ἑαυτον προςηνεγκεν ἀμωμον τῳ Θεῳ Hebr. 9, 14. Cfr. hac de re §. 35. Tota hostiae illius descriptio ab Apostolo facta haec esse videtur: Iesum effusum sanguinem secum in coelos, utpote summum sanctuarium, sumsisse ibique animam duraturam atque integerrimam Deo tanquam victimam obtulisse exquisitissimam, et tanquam victimam, cuius repetitio non poscatur [95]. Has quoque ob causas Iesum tanquam victimam Deo decretam describit. — Inprimis vero saepius adhuc urget *victimam semel tantum oblatam*, 7, 27. 9, 25. 10, 11. 12, 6., et plura alia addit, quibus fuerit haec victima prae caeteris omnibus insignita. Cfr. §. 55. — Locum, quo Iesus cruci affixus victimam se dederit, crucemque ipsam Iudaicis, ut vidimus,

---

95) Verba δια πνευματος αἰωνιου Morus vertit: *vermöge seiner geistigen Natur*, Storr. *in dem Zustande einer ewigen Herrlichkeit*, et eodem fere modo auctor tractationis in Eichhorns *Repert.* 11. S. 21. *Noesselt. in Opuscc.* p. 293. *victimam perfectam et sempiternam*, Ammon *in der bibl. Theolog.* 3. Bd. S. 35. *die höhere Existenz Iesu, in der er sich dem Vater als ein unvergängliches Opfer dargestellt hat.*

lectoribus in memoriam revocare noluit. Sed cum tamen loci, in quo sanguis fuerit effusus, mentio iniicienda esset, fit hoc more in victimis offerendis solemni: ἐξω πυλης ἐπαθε cap. 13, 12. et hac ratione αἱματεκχυσιαν muneris sacerdotalis fuisse partem efficit. — Descripturus auctor θυσιας, quam Iesus obtulerit, δικαιωμα, utitur formulis: εἰς καθαρισμον ἁμαρτιων 1, 3., εἰς το ἀπαλλαττειν ἀπο φοβου θανατου 2, 14., εἰς λυτρωσιν 9, 12. 15. Vides igitur, nostrum non tam multiplicem esse in formulis de hac re usurpandis, quam esse soleat Paulus, inprimisque ipsi non obvias esse descriptiones: δικαιοσυνην προς τον Θεον ἐχειν et ἐχειν εἰρηνην προς τον Θεον. — Effectum ἀπολυτρωσεως peractae delineaturus haec habet: ἐπαγγελιαν λαμβανειν 9, 15., dicitque Iesum hac inprimis de causa αἰτιον της σωτηριας αἰωνιου 5, 9. — Ἀπολυτρωσιν ἁμαρτιων, inprimis Iudaeorum, reperis 9, 15. 2, 17. 7, 27., rariusque vocabulum ἡμων, v. c. 1, 3., quod auctor, cui res cum Iudaeis erat, de industria evitare videtur. Semel tantum 2, 9. mortis huius fructus ab omnibus percipi affirmat. — Quaerentibus denique nobis de peccatis, quae Iesus victima oblata veluti deleverit, apertissime eadem auctor vocat πολλας ἁμαρτιας, neque tamen restrictionem addit in hac re scribendam. Videbis igitur epistolae auctorem in rebus mortis Iesu proponendis multam habere cum reliquis apostolis, Paulo inprimis, similitudinem, attamen etiam idoneam dissimilitudinem, eundemque omnium maxime amare hac in re ornamenta. Quae Schulzius hac de re tractaverit, vides pag. 36. 37. et 57. etiam 110 sequ.

§. 64.

Tanguntur quaedam, quae peculiari tractandi methodo annumerentur.

Acquiescere profecto possem in hucusque tractatis, nisi Schulz. S. V. peculiariori in hac epistola tractandi rationi adderet nonnulla silentio non plane praetereunda. Urget ipse pag. 150. religionem Iesu designandi modum singularem, cum Paulus habeat το ευαγγελιον et βασιλειαν του Θεου. Βασιλειας notio quodammodo reperitur 1, 8. — Maxime peculiarem epistolae indolem reperit in eo, quod de caeteris sileat apostolis (p. 133.). Neque tamen video Pauli morem in hac re alium, nisi rerum peculiari conditione fuerit coactus. Praeterea mentionem profecto apostolorum iniicit cap. 2, 3. — Non tam *typicam tractandi rationem* probaverim, quam vere reperisse sibi videtur Schulzius in hac epistola (p. 133.), in quo mentem ipsius non plane me cepisse conqueror, cum multis in locis res profecto plane sibi contrarias proferat. — Vides ipsum contendentem (p. 81.), Iesum ex auctoris mente Deo subordinatum fuisse. Minime hoc negabis, si perpenderis formulas: ὁν ἐθηκε Θεος κληρονομον παντων 1, 2. ὁν ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ μεγαλωσυνης 1, 3., multosque locos simillimos, sique audiveris inprimis de ὑπακοῃ Iesu 5, 8. Neque tamen hoc epistolae auctori prae caeteris apostolis est solemne, Paulusque inprimis eandem profecto amat tractandi methodum. Scribere enim solet: ὁ θεος ἀπεστειλε τον υἱον Gal. 4, 4.; κατα το θελημα του πατρος Gal. 1, 3.; γενομενος ὑπηκοος Phil. 2, 8. et ὁ Θεος ἐχαρισατο αὐτῳ ὀνομα ὑπερ παν ὀνομα Phil.

2, 9.[96]). — Particularismi inprimis, quem dicunt, defensorem in epistolae auctore reperisse sibi videtur, qui populum Iudaicum τοῦ λαοῦ nomine insigniverit, qui Iesum tanquam ἀποστολὸν tractaverit eumque Iudaeorum sacerdotem cogitaverit verum. Cfr. p. 80 sequ. Sed vehementer optassem, ut hac in re graviori totius epistolae indolem perlustrasset, nec levioribus acquievisset argumentis. Namque Paulus quoque apostolus de Iudaeis tanquam του Θεου λαῳ exponit Rom. 11, 1. sequ. Iudaei porro in nuntiis divinis, qui populo Iudaico mitterentur, designandis non tam ἀποστολου denominatione utebantur, quam προφητου, praetereaque ἀποστολου vocabulum cap. 3, 1. videtur positum per hendiadyn, ut supra monui. Quae denique de *Iesu verissimo Iudaeorum sacerdote* profert, profecto nituntur argumento incertissimo, atque vix eviceris in argumento per omnes fere partes allegorico hanc Iesum insigniendi rationem pro vera esse habendam. Praeterea si epistolae argumentum et consilium in genere spectaveris, invenies praecepta religionis christianae talia, quae omnibus terrae incolis sint salutifera. Neque etiam repereris, e quo possis particularismi defensionem tute deducere. Quid? quod, quae vix expectaveris in eiusmodi epistola ad Iudaeos scripta, universalismi, quem appellant, documenta reperis non plane contemnenda. Describitur v. c. Iesus cap. 2, 10. tanquam ἀρχηγος της σωτηριας, πολλους (minime vero λαον σου vel etiam ἡμας) υἱους εἰς δοξαν ἀγαγων, atque adeo c. 2, 9. talis, qui mortem perpessus sit pro πασι, talis etiam, qui in genere mortis dominium destruxerit, 2, 13. Sermo est cap. 3, 14.

---

96) Fusius hac de re exposuit Meyer *in der Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs* p. 117 sequ.

de omnibus, qui ad religionem Iesu accesserint. Nec poteris docere in hoc auctoris silentio, ἡμας in tota epistola, v. c. 1, 2., non nisi esse auctorem Iudaeum lectoresque Iudaeos. — De eo denique, quod Schulz. omni cum iure contendere audeat, auctorem de minori Mosaicae legis usu non exponere, conferatur Steudel. in *iudicio de commentario huius epistolae Schulziano promulgato* 97).

§. 65.

Monentur quaedam de iudicio in hucusque tractatis caute instituendo.

Diligentia, ut ipse fatear, indefessa quadam hucusque omnia a me perlustrata sunt, quae epistolae ad Hebraeos indolem peculiarem edocere possint, atque tercenties, et quod excurrit, omnes N. T. epistolae isto consilio inter se sunt a me comparatae. Sed ne cupiditatis impetu in hoc argumento tractato abreptus et non nisi pruritu novaturiendi ductus esse videar, addenda putavi pauca *de iudicio provido*, quod in eadem re sit ferendum. Scilicet verissimum quidem est, omnia hucusque a me examinata conspirare in indole epistolae ad Hebraeos plane peculiari indicanda, atque sedulo colligendi, quae huc pertinerent, consilium mihi fuit palmare. Sed negari nequit, plura saepe esse, quibus literae peculiarem formam propriamque indolem possint accipere, ex qua vix possis epistolarum auctores agnoscere, praecipue si diutius hominum omnis generis consuetudine fuerint usi. Referas huc *exquisitius scribendi genus*, quo in epistolis uti solemus, si lecto-

97) Vid. Bengels *Archiv für die Theologie und ihre neueste Literatur* 4. Bd. 1. St. pag. 90.

Emendanda.

Pag. 1 lin. 8 leg. Hallett — lin. 14 l. compositam — lin. 7 v. u. l. philol. — p. 2 lin. 16 l. qui, Schulzii — p. 3 lin. 16 l. dignissimum, — p. 4 lin. 1 l. scripsique — lin. 24 l. tentem — lin. 25 l. collatis — lin. 26 l. studeam — pag. 5 lin. 5 l. perlustraveris — lin. 16 l. susceperit — p. 6 lin. 20 l. datae — p. 7 lin. 25 l. coniunctissimos — p. 8 lin. 6. l. Steudelio — lin. 10 l. Epistolae — lin. 29 l. offendiculo inprimis — lin. 35 l. cupiditatem — pag. 10 lin. 2 l. epistolae — lin. 4 l. cupide — lin. 16 l. videbatur — lin. 29 l. Stolz. — lin. 32 l. in forma imperativi — lin. 33 l. Wachlergiani l. c. — lin. 4 v. u. leg. aeque — p. 12 lin. 25 l. epistolae — p. 13 lin. 9 l. non nisi sub finem peragendo tractare — lin. 23 l. Sed hoc certissimum est, — lin. 24 l. sive — p. 14 lin. 1 l. versantes, — p. 15 lin. 31 l. signa — p. 16 lin. 10 l. συμπαθησασαν — p. 17 lin. 14 l. Ad — p. 18 lin. 6 l. capitibus, quibus tamen defuerit — p. 20 lin. 31 l. indicat haec — p. 22 lin. 15 l. est — p. 26 lin. 7 l. quoque in libris — p. 28 l. 9. v. u. 4; leg. 13 — p. 30 lin. 5 l. πατερας — lin. 25 l. in iis — p. 31 lin. 26 leg. futilitate, qua — lin. 17 v. u. Spic. — p. 32 lin. 8 l. Wetstein — p. 33 lin. 8 l. In caeteris — p. 38 lin. 15 l. 16. ποηθειας — p. 45 lin. 7 l. Iudaeorumque sententias — lin. 21 l. etiamsi — p. 46 lin. 16 l. Videas — p. 48 lin. 9 l. διατιθεναι — p. 51 lin. 7 leg. Apud — p. 55 lin. 3 l. stellam — p. 56 lin. 10 l. sed significatione — pag. 58 lin. 11 l. praeterea plane — lin. 21 l. capitis ipsa faciliora — p. 62 lin. 25 l. Hinc Philo — lin. penult. l. provocaret — lin. ultima l. quippe cum haec — indicaret — pag. 66 lin. 32 l. et centies apud Diodorum Siculum, qua de re conf. Casaubonus ad Diod. Sic. Hist. 1, 5. Philo — p. 67 lin. 20 leg. Paulus memor. 7. St. S. 199 sequ. — pag. 68 lin. 9 leg. των — lin. penultima leg. quod attinet Paulum, — p. 69 lin. 20 l. significationum — p. 70 lin. 37 l. Marte — p. 73 lin. 20 l. Adhibent Hebraei — lin. 33 l. vel per se — p. 80 lin. 8 del. seriores — lin. 11 v. u. leg. ἡγεισθαι — p. 83 lin. 6 v. u. leg. δυνασθαι — p. 85 lin. 17 l. Ἰησους Χριστος 1, 3. 5, 6. — p. 89 lin. 10 leg. nempe undecim — p. 90 lin. 8 l. hic — p. 94 lin. 25 l. distenta — lin 29 l. qualis — p. 97 lin. 17 l. ipsi placuit, — p. 98 lin. 1 τροπον παιδειας — lin. 25 leg. et auditores respicientes, — p. 99 lin. 3 l. Nec poterit — p. 103 lin. 21 l. quod quidem epistolae argumentum — p. 109 lin. 1 l. idem mos — lin. 4 l. quos — p. 110 lin. 29 l. oblato — p. 111 lin. 31 l. insertae caput — p. 113 lin. 1 l. Quibus — lin. 2 l. eliciatur — lin. 3 l. ducat — lin. 16 l. si perpenderis, — p. 115 lin. 30 l. Christianorum brevissimum — p. 116 lin. 7 et 8 leg. deserant — affligant — p. 117 lin. 10 l. Amabant — lin. 22 l. exacerbati erant — p. 119 lin. 30 l. C. C. Tittmann de — p. 120 lin. 9 l. fere — lin. 12 l. allegorias, — pag. 123 lin. 30 l. an Deutr. 32, 41. — lin. 31 l. ab apostolo — p. 124 lin. 24 l. quando vero — p. 125 lin. 21 l. Tenueris — p. 127 lin. penultima leg. Henke — p. 132 lin. 12 l. Paulum eo,

Reliquis erroribus typographicis lector benevolus veniam dabit.
